






V
B
J
C



NARRATIO LEGATIONIS ZBARAVIANÆ

Et rerum apud otthomanos Anno 1622. Gestarum.

Conscripta à

SAMVELE KVSZEVVICZ.



DANTISCI,

Apud Georgium Forsterum. Anno 1645.

Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ & Sveciæ.



NARRATIO LEGATIONIS ZBARAVIANÆ,

ET RERUM APUD OTTHOMANOS ANNO 1622. GESTARUM.

Conscripta

à

SAMUELE KUSZEVVICZ.





Dantisci,

Apud Georgium Forsterum,
M DC XLV.

Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ & Svæciæ.



ILLUSTRISSIMIS
PRINCIPIBUS,
D.D. GEORGIO DEMETRIO ET CHRISTOPHORO CONSTANTINO, DUCIBUS IN WISNIEWIECZ ET ZBARAZ.
Principibus Juventutis Polonæ.

Non erat ambigendum, Principes Illuſtriſſimi, cui potiſſimùm hoc opus meum irem dedicatum: cùm Veſtrum amplum ſtatim ſe menti obtulerit nomen, cui id jure quodam deberi, multis de cauſis, videbatur. Primo, quia Chriſtophori Zbaravii, *de quo hîc agitur, ſpecies, in Vobis ita elucet, ut nihil fuerit tam*

laudabile in eo, quod fronte, & oculis non monstretis in animo vos habere. Vos certè, non modò sanguinis, & fortunæ Zbaravianæ hæreditatem adepti, sed etiam virtutis patrimonium, id unicum curatis, ut brevi primùm ipsam famam, dein fidem, & admirationem omnium, superetis. Deinde, quia Principum Iuventutis est, bene de publico meritos, tanquam creditores laudis, & Virtutis, noctu quoque, & insomnis, sibi ante oculos proponere, ut & ipsi in tantum aliquando laudentur, in quantum Bonorum virtus laudari, & intelligi potest. Præclarè apud Platonem Socrates, cujus nomen non hominis, sed integri-

tatis innocentiæque, etiam hoc ſterili virtutum ſæculo, putatur, facinoribus majorum ſe delectari, dicit. Quippe ex iis, tanquam qui viam aliquam confecerint, qua & adoleſcentibus ingrediendum ſit, modum ardua quæq; pronis conatibus aggrediendi, cognoſcendum, oſtendit. Denique humanitas Veſtra, quam, in hac purpura ætatis, omnibus impenditis, hoc à me, ut Vobis laborem meum dicarem, & nuncuparem, poſcere videbatur. Vos profectò res hactenus aliis, inter rudimenta ætatis diſſociabiles, claritatem generis, & comitatem, conjugali vinculo copulâſtis, &, miro utriuſq; virtutis temperamento, ita conciliâſtis, ut in hac

Illustri Academicæ Iuventutis Coronâ, tam magnum quàm novum relinquatis exemplum. Accipite igitur, Principes Illustrissimi, hoc opusculum, pro æterni servitii, quod Vobis profiteor, testimonio, quasi votivam tabellam, tot nominibus obnoxiam Vobis, atque debitam, fronte serenâ; velut ab animo observantiæ, & studii in Vos plenissimo, profectum. Eminentia certè colere, & Diis supplicare, nemini unquam vitio fuit.

Summæ Vestræ Amplitudini

Nexu, & obsequio proprius

SAMUEL KUSZEVVICZ.

NARRATIO LEGATIONIS ZBARAVIANÆ, ET RERUM APUD OTTHOMANOS ANNO 1622. GESTARUM.

MAGNORUM Virorum facta dictaque posteris tradere, apud exteros usitatum, ne Nostri quidem rerum Scriptores omisêre, quoties illustres aliquæ animę calamitatem temporum in suam, & Reipub. gloriam converterunt. Sed, ut apud exteros, æternitati superstites consecrare, laudabile, magisque solenne est: ita Nostri iis tantùm, quos mors odio, aut gratiæ exemit, debitum præmium conferre curârunt. Ac plerique olim, ut, quod ætati

magnorum defuerat, de ſuo ad-
diderunt:ita ipſi tamdiu cum po-
ſteritate vixêre, quam diu literis
pretium, vel nomen, & exiſtima-
tio conſtabat. At mihi nunc
narraturo Legationem Chriſto-
phori Zbaravii, veniâ opus fuit;
quam non poſtulâſſem, ni vide-
rem ingenii mei tenuitatem, &
multos, qui famam, quam per in-
genium conſequi non poſſunt,
labe literarum non dubitant ſo-
licitare. Audivimus nuper, cùm
decoris ingeniis noviſſimum in
Valachia bellum memoraretur,
reprehenſum fuiſſe; neque in
ipſos modò Authores, ſed in fi-
dem quoque eorum involatum;
ſolito jam legentium vitio, qui
ſæculum infectum, & adulatione
ſordidum, appellant. Scilicet ad-
eò cuncta ab hominibus æſti-
mantur, atq; tunc facilè gignun-
tur,

tur, quóque longiùs ab obvia rerum ſimilitudine removentur, hoc magis ſcriptorum eſſe creduntur ficta tantùm, & placita. Dedimus profectò grande obtrectationis, & livoris documentum, & ſicut exteri, domeſtica tantùm, etiam modica, magis famæ, quàm virtutis, & eruditionis pretio, ac uſu extollunt: ita nos, miſſo domeſticis repudio, virtutem noſtrorum, & eruditionem deprimimus, aliena immoti contemplamur. Memoriam quoque Bonorum perdidiſſemus, niſi virtus ipſa ſibi præſidio, ſupra fortunam, & latratus poſita eſſet, & niſi libertas daretur, in ultionem eorum ſurgere, qui, aut literarum innocentiam proſcribunt, aut gloriæ civium famæque inſultant. Nunc demum multis magnus eſt animus,

& quanquam ſemper in Regno, rarâ populorum felicitate, ſentire quæ voluimus, &, quæ ſenſimus proferre licuit, regnante tamen Uladislao Quarto, Muſæ majeſtatem ſuam, & libertatem potiſſimùm tueri videntur. Arcana quippe quædam vis eſt, quæ non modò ipſa regna, ſed etiam animos ſolet immutare, & ſæculum unumquodque genium habet, & peculiare quid, quod ſectatur. Quod ſi Principum benevolentiâ, magno ad præclara quæque incitamento, multi eriguntur, præclarus quiſque ingenii, & eloquentiæ, faciliùs inflammantur, mediocres, & nos, ut ita dixerim, bonarum artium rudes, majora viribus noſtris agitamus? Non ergò pigebit, vel inconditâ, ac rudi voce, memoriam ſpectatæ virtutis, & ex-

exantlati pro Repub.laboris, teſtimonium compoſuiſſe. Et certè apud omnes, hic liber, honori Zbaravianæ gentis deſtinatus, ut profeſſione pietatis laudabitur: ita imitatione quorundam excuſabitur. Neque enim ego unquam eorum induſtriam laudare potui, qui ſuo dicendi genere, neminem ex veteribus Magiſtris, & ſapientiæ profeſſoribus ſequuntur. Cum Macrobio, vetere ſcriptore, loquar. *Is eſt fructus legendi æmulari ea, quæ in aliis probes, & quæ maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem tuum uſum opportunâ derivatione convertere: quod & noſtri tam inter ſe, quàm à Græcis, & Græcorum excellentes, inter ſe ſæpe fecerunt.* Cæterùm ego jam negotii mei initium ediſſeram: & quia ad ſecreta, & arcana penetrare non poſ-
 ſum,

ſum, proxima tantùm, & obvia memorabo, nihil demens, aut addens vero, ſed omnia ex fide.

Sigiſmundus, ejus nominis Tertius, Rex Polonorum, bello cum Turcis in Valachia confecto, Legatione Oſmanum adoriri exiſtimavit; ut ea, quæ in caſtris pacta utrinque, ac deſtinata fuerant, comprobarentur. Viſus eſt vigens, ac par negotio præ cæteris, Chriſtophorus Zbaravius, excelſi vir animi, & ad curam Reipub. indole, ac rerum maximarum uſu factus. Namque per multa experimenta, non in privati, aut inexerciti ingenii diſciplina, ſed inter publicorum conſiliorum rationes, arcana Rerumpub. perdidicerat. Tum mittuntur ad eum nomine Regis literæ, quîs poſtulatum, *ut publicæ cauſæ Legatione fungeretur, &, eductus*

ctus ad gloriam, quæ, ut mortem, naturâ aliàs æqualem, ita vitam hominum distinguit, ardua non declinaret. Fortè illis diebus in oppidum, cui nomen Konskavvola, venerat Zbaravius, &, post exantlatos multiplices in Repub. labores, illic literarum secretis occupabatur, prosperâ sui famâ inter omnes, domi militiæque. Et redduntur Varsoviâ literæ, superiora continentes; addito, festinatione opus esse. Quippe Vevellius, auctoritatem Christianæ religionis præferens, habitu, & ore ad exprimendam imaginem honesti, cæterùm animo perfidiosus, & subdolus, avaritiam occultans, Senatores, hi Sigismundum Regem stimulabant. Et Zbaravius quidem, an id muneris subiret, meditationi diuturnæ reliquit: sæpiùs apud se pen-

pensitato, num recusatio plus damni in Rempub. ferret, quàm attrectare arduum, & subjectum fortunæ onus. Laudabili prudentum exemplo, qui, antequam magna adoriantur, æstimare solent, an, quod inchoatur, Reipub. utile, ipsis gloriosum, aut promtum effectu sit. Cæterùm & his, atque aliis nutantem, primi quisque loci, ac summæ domi auctoritatis, firmabat, & Frater, Castellanus Cracoviensis, obsistentem, multis secretisque sermonibus fatigabat. Postremò, gnarus excelsi animi esse, cùm virtute sua, aut existimatione ita colluctari, ut vtraq;, & virtus, & dignitas, accipiat incrementum, literas ad Regem composuit, in hanc sententiam. *Sibi certum semper fuisse Patriæ obsequium, inter prospera sortis, vel iniqua testari;*

cùm

cùm primâ ab infantia, in domo Senatoria eductus, didicisset, majorem Reipub. curam, quàm suarum necessitatum, habendam esse. Et nunc nolle se committere, ut per suam ignaviam Osmanus, mobilitate ingenij, pacem, quæ in salutem Reipub. convenit, disturbet, frangatve. Verùm rogare se, ut dona Osmano Dilavoroque (id erat magno Vezerio nomen) per Sobiescium Zoravinsciumque promissa, à Rege mittantur; se impensas itineris, & lubrica casuum, amore Patriæ, & Principis, subire velle.

Hac tempestate fortè evenerat, ut motus Constantinopolitani per Russiam, & Podoliam nunciarentur. Osmanum, haud dubiò pronum ad novas res, Janizari, jussu Dauteri, Dilaverum, & Primores non paucos, promiscuâ cæde interfecerant, antequam juberentur. Haud pigebit refer-

referre Turcicum hunc motum, ut quibus initiis, quantâ Dauteri arte, graviſſimum Otthomanici Imperatoris exitium irrepſerit, dein arſerit, poſtremò ſacra pariter, ac profana corripuerit, noſcatur.

Reverſus ex Valachia Oſmanus, milites pleroſque Conſtantinopoli depulit, Duceſque eorum morte, aut fugâ punivit; quòd illorum ignaviâ Poloni, impares longè numero, modico ſuorum damno, aut nullo, quales ante pugnam, tales poſt victoriam integri ferè manſerint, & illæſi. Nec multò pòſt, cùm pigritia militandi inter Janizaros oriretur, faſtidire Conſtantinopolim cœpit; Ulteriores regiones, maximè Syriam, ſecretis imaginationibus agitans. Dein edicto teſtificatus, non longam

gam ſui abſentiam, & cuncta in Græcia exinde immota, ac proſpera fore. Hæc, atque talia, Dilavero, & Primoribus nolentibus fuêre, voluptatum cupidine, &, quæ præcipua cura eſt, pericula à Coſacis, ſi abeſſet, metuentibus. Plebs primùm in incerto erat, procul, an coram, atrocior Oſmanus haberetur: dehinc, quæ natura apud metu obnoxios, pericula credebant, ab Euxino mari, illo abſente ventura. Igitur non modò ſecretæ querimoniæ, ſed etiam publicæ omnium preces, ne tantum adiret iter, cujus ne modicos quidem egreſſus tolerarent; ſueti adverſum fortuita adſpectu Cæſarum refoveri. At *Oſmanus*, impatiens moræ, clam naves auro, & *Otthomanicæ* domûs ſupellectili, onerare jubet, immotus adverſus

ſus preces. Itaque, dum obſtinatum animum vident, eum, qui ſacrorum præſes eſt, (Mufftium Turcæ dicunt) exorant: iret ille, moneret Cæſarem, ut majorem publicæ ſalutis, quàm juvenilis deſiderii, rationem duceret. Religioni ſummum imperium ceſſurum putabant. Et multo populi concurſu, ad cohibendum Cæſarem, Mufftius egrediebatur; cùm repentè adfertur, omnem jam ſupellectilem Cæſarum exportari. Pavor hinc in omnes, & Primores, ut Mufftius Regiam intraret, comprecabantur. Ubi Palatium introivit, *Oſmano*, non abditâ ambage, *Conſtantinopolim* ab eo deſeri, Damaſcum ſpectari, exprobravit. Orationem Mufftii exceperunt preces Procerum: & undique, ne proprio tantùm ingenio uteretur,

tur, à ſuorum conſiliis, clamabant. *Oſmanus*, quanquam ſalubriora etiam crederet Conſtantinopoli, quàm in Syria militum corpora fore, tamen nihil è propoſito omittebat, in itinere devotionem ſimulans, quaſi, viſitandi ſepulcri causâ, Mecham concedere voluerit; longam & continuam abſentiam paulatim ſimulans. Sive ea viciſſitudo rerum fuit, ſive fati lex, quæ ſimul & immota, & adamantinis conſtricta vinculis, averti, aut declinari, haud facilè poteſt. Ortâ luce, in urbe jam futura cædibus ſemina jaciebantur, quanquam pleriſque ſacramenti reverentia terrori erat, quominùs auderent ſcelus. Enimverò *Dauterus*, præcipitis vir ingenii, *Ianizarorum* contubernia adire, extollere alacres, addere animum præmiis, hor-

hortari imbelles, ac ignavos, ſpe, ſi togæ, aut militiæ dignitates peterentur, complere; inſerendo ſæpiùs de *Oſmano* querelas, quæque alia incitamenta irarum, apud infenſos erant. Parentes, aut liberi, & tot pedores carcerum, tot inter vincula, fame, aut ſiti exſtinctorum contubernalium cædes, atrociùs accipiebantur. Ne tamen fidei humanæ, juxta ac divinæ deſertores haberentur, Mufftium adeunt, licentiam ſeditionis petentes. Hâc acceptâ, limen Regiæ circumſidunt, conſternatâ, & dubitante ipsâ famâ, ærarium, an Cæſarem invaderent. Jam exterritus *Oſmanus* fremitu crebreſcentis ſeditionis, & inconditis clamoribus, in interiora uſque reſonantibus, jam ſpadones haud læta retulerant. Cùm alii in mediam ſedi-

ſeditionem ire, alii Soltanarum palatia ingredi,cenſerent; utque fermè evenit in cœtu plurimorum, plures ſententiis aliorum contradicerent, inter lacrymas, aut lamenta imbellium. Hæſitationem attulit tempus ac locus, quia, initio ſeditionis orto, difficilis ultra moderatio,& turbavêre conſilium ſpadonum diffugia, languentibus cuſtodum ſtudiis, qui primò non conſilia tantùm, ſed & dexteras offerebant, fidem,atque animum oſtentantes. Donec tandem *Ianizari*, quaſi externum aliquem avito *Otthomanorum* ſolio depulſuri, ac non Principem ſuum trucidare pergerent, armati, ac minitabundi, Regiam, præeunte *Dautero*, irrumpunt. Quæ ubi cognita *Oſmano*,ad Soltanarum Palatia perVaſit,ab animo ſuiſque deſertus.

Exceptus misericordiâ infelicis Principis, & contubernio mulierum abditus, non religione, nec cærimoniis, sed incertis latebris, imminens exitium differebat. Quippe *Ianizaros* nec Soltanarum aspectus, & imminentium locorum religio, & Priores, & futuri Principes terruêre, quominùs facerent scelus, cujus ultor est, quisquis successit. Itaque primùm latebrâ *Ianizaros* frustratus, postremò visus *Dautero*, per simulationem amicitiæ, capitur, non suum jam imperium, quàm subditorum, aut terroris sui, secutus. Prono in vesperam die, in carcerem trahitur, è Cæsare nihil factus; documento omnibus futurus, neminem non posse non odisse illum, à quo odio habetur, non exitium illi inferre, à quo intentatur, non expe-
ctare,

ctare, quod meretur. Circumsteterat interim Regiam publica urbis exspectatio, magni secreti impatiens, cùm odio *Osmani*, tùm favore in Mustapham. Is *Otthomanico* genere ortus, primis adhuc juventæ annis illustris, claro apud vulgum rumore erat, non per virtutem, sed per sanguinis prærogativam, Imperio propiorem. Aderant etiam fortuita, habitus corporis, lineamentaque; sed procul gravitas morum, aut regendi scientia. Ergo, postquam studia populi, & militum noscebantur, reversus in Regiam *Dauterus*, perduci Mustapham ad se ex carcere imperat, ignarum futuri. Accurrunt universi, & truces armis, custodiâ ruptâ, Mustapham vinctum expediunt, &, consentientibus Primoribus, Cæsarem dicunt. Clarum omnibus

humanæ inconſtantiæ argumentum, alter ex Imperatorio ſolio, dum Europam chriſtianam ſubjugare cogitat, defertur ad carcerem; alter, quem jam pereundi neceſſitas conſtringit, ex carcere vocatur ad Imperium. Mirum, quòd matrem repentina lætitia non exanimaverit, cùm, magnis cladibus afflicta, priùs Cæſarem appellatum audiverit filium, quàm vinculis exemtum. Muſtapha, ut primùm ſuam, ac ſuorum fortunam, ſupra ſpem auctam, & evectam vidit, inter venerantes gratanteſque aſpiciebatur, non ſine feſto tormentorum ſono, lætiſque per urbem ignibus. *Oſmano* mox indictum ultimum ſupplicium, authore *Dautero*: qui timendam tunc maximè fortunam, cùm maximè ſplendet, judicans, promſiſſe inter
ami-

amicos ferebatur, certam ſibi perniciem, ſi iterum *Oſmanus* rerum potiretur. Sedulò, & quaſi ſubductis rationibus, reputabat ſecum, modò *Ianizarorum* violentiam, modò multorum ex Proceribus indolem, ut quidem experimento, inter hæc turbamenta, cognitam. Ergo intumeſcente motu, odium *Oſmano* intendit, & mortem palàm molitur; nec duos cœlum Soles, nec duo ſumma Imperia Turcas, pati poſſe obtendens. Ire ſecum lictores jubet, in cædem *Oſmani* ardentes: à quibus protractus, in foribus carceris vulnus; ab ipſo *Dautero*, accepit. Lictores fœdè ſuffocavêre, ſecuri ab offenſione, certi gratiæ. Nec propterea ceſſatum à ſeditione, propalam graſſante licentiâ, diſperſis per plateas *Ianizaris*, & fœdiſſimis

exemplis, modò hoc, aliquantò pòst illo, cadente, profana simul, & sacra, & celebre *Othomanicæ* gentis templum, quod Solimaniam vocant, violantur. Unde per *Ianizarorum* licentiam, momento consumtum, quod tanti Imperatores, à primis retrò annis, maximis impensis, comparaverant, ærariumq;, quod sine fundo videbatur, & in sæcula sufficere poterat, exhaustum. *Dilaverum*, supremi *Vezeri* officio tumentem, & cæteros, maturos annis, spectatos bello, invasêre. Enimverò exacto per scelera die, supremo judicio *Dauterum* præfecerunt, posthabitis multis, in eam spem erectis. Ita, occulto quodam naturæ suoque instinctu, res humanæ & nascuntur in dies, & crescunt, & florent, & decrescunt iterum, & mutantur, & cadunt. Hic

Hic fuit rerum *Otthomanicarum* ſtatus, cùm *Zbaravius*, Regis arbitrio, & ſummo Reipub. applauſu, *Conſtantinopolim* Legatus deſtinaretur. Retardavit ea res conſilium *Zbaravii*, jam de Legationis itinere ſecum, & cum Fratre agitantis. Itaque, anxius quònam *Coſacorum* vis erumperet, ne *Valachis* quidem confiſus, quod remedium unicum credebat, literas ad *Coſacos* dirigit, recenſitoque juramento illorum, multa præfatus de fide in Rempub., ut ſe à furtivis excurſionibus, adverſum Turcas, & *Tartaros*, contineant, monet. Paucis pòſt diebus, volutatis inter ſe rationibus, & expenſis itineris conſiliis, Varſoviam miſit, ut epiſtolæ, nomine Regio, ad Cæſarem ſcriberentur, donaque in caſtris *Chocimicis* promiſſa, procul morâ, mit-

terentur. Ipſe, diverſis in prædiis paucos moratus dies, dum literæ ab aula afferentur, tranſitum parat per *Valachiam*, *Turcis* nexam, prudens, facilem mutatu gentem, utpote, quæ fidem lucro habeat quodammodo oppigneratam. Exeunte Julio Menſe literas, ad Cæſarem perferendas, ac monita, ex quorum præſcripto ipſe ſe gereret, accepit. Ad extremum adjunctum, *Oſmanum Dilaverumque* interfectos, donis non egere. Tùm verò magno dolore accenſus, rurſus ad Regem literas mittit: *de Cæſaris* Vezerique *cæde ſibi compertum eſſe, verùm & in* Muſtapham *caput Imperij devolutum, & novum* Vezerum *renunciatum, ac utrumque ſibi hoſpitalia dona magnâ curâ haberi. Conſuleret Rex Legato, ac promiſſa mittere maturaret. Homines* mor-

mortales, & cædibus obnoxios, cæterum magiſtratus æternos eſſe. Se id dolenter tolerare, eò contemtionis deſcenſum, ut ne Legato, & civi Reipublicæ, obſequio & fide in Patriam cum omnibus certanti, crederentur. Reputaret Senatus, non perinde dijudicari poſſe, quid optimum factu fuerit, quàm peßimum fuiſſe, quod factum eſt. Dierum aliquot moram interponere, Regi conſultum erat. Ad extremum dona Cæſari, & *Soltanæ* mittuntur; *Vezero* tamen denegata ſunt. Et, jam evulgatâ per Regnum *Zbaravij* profectione, multi undique, quos decus, & gloria intraverat, accurrentes, hæc, quæ neceſſitatis, aut ſplendoris erant, in tempore curavêre. Nec arduum videbatur, gravidas adverſis tempeſtates in *Turcico* ſolo perferre, ſive, inter tot nutantes, tot infe-

ſtos, verſari. Conſultatum deinde inter domeſticos *Zbaravij*, quique alii conſanguineorum aderant, quiſnam *Conſtantinopolim* pro literis fiduciæ ablegaretur. Et omnium ore *Stognievius* celebrabatur, fidei expertus, ac maturâ domi prudentiâ clarus. Huic comes adjungitur *Baptiſta Vevellius*, *Turcarum Polonorumque* gnarus, quanquam hic, per ſpeciem amicitiæ, dolum parabat.

Per id tempus atroces rurſus *Conſtantinopoli* nuncii, de integro, quaſi è ſeminatis Draconis dentibus, nova bella civilia ſurrexiſſe. Quippe *Dauterus*, quanquam aſſentandi aucupio, ac voluptatum artificio, apud Cæſarem gratiâ præibat omnes, inviſus Primoribus fuit. Secretis criminationibus, velut à Cæſare averſus, ſpe pravâ rapiendi imperii

infla-

inflatus, ad *Soltanam* deferebatur, palàm laudatus, ut clam ſubverteretur. Nec ultra mora. Quidam Primorum, adductis percuſſoribus, ante metum, & timorem, eundem capiunt, proclivi in veſperam die, Paucis dehinc interjectis horis, neceſſitate extremâ ad mortem agitur, quòd primus *Oſmano* vulnus inflixerit, primus iras militum accenderit. Cùm ſubitò uxor ejus, victa in lacrymas, & veſte ſervili, in ſeditionem pergit; *audirent ſupplicem, neve maritum trucidarent, vocibus inter lamenta abruptis, identidem orabat*. Et datus precibus locus, ac quantùm iræ facinus mariti in animis Procerum permoverat, tantùm miſericordiæ uxor, quia ſanguinis *Otthomanici*, concivit. Igitur *Dauterus* vitâ donatur; ſed loco & dignitate mo-

tus, dedit exemplum, propius à caſu nos abeſſe, quò ad culmen aſcendimus altiùs. Succeſſit in ejus locum *Muſtapha* quidam, nullo judicio, nullâ rerum experientiâ firmandæ dominationi par: otium ratus magiſtratum, quo nihil eſt in mundo negotioſius. Unde patuit, gloriam fortunæ interdum, non ſemper virtutis eſſe beneficium. Poſtea ejus felicitas, more ſortis humanæ, præcipiti caſu ruit. Namque eum, paucis interjectis diebus, detrudunt; ſive ob livorem tantæ felicitatis, ac potentiæ jam nimiæ comitem, ſive, ut illi præferebant, curâ prudentioris. Mox *Huſſeimus*, vir militiæ experimentis hactenus ſatis clarus, *Vezeri* dignitate, & omnibus ſecundùm Cæſarem, rebus eſt præpoſitus. Licito jam, aut, petulantiâ temporis

poris recepto more, ſub *Ianizarorum* voluntatem magiſtratus cadere, & animis aliquando ad horum ſtudia accenſis, ſubinde contra irritatis, imperare, ruere. Neque *Huſſeimus* principio quidquam omittebat, ſi quâ viâ poſſet malis occurrere: adeò ut illicò ſe omnibus probaverit, oſtenderitque, ſe, in omnes Imperii neceſſitates, intentum eſſe paratumque. Bellum ante omnia, malorum radicem, amputaturus, *Samuelem Koreccium*, inermem captivumque confecit, intentior, quàm minacior. Multa de ea re apud Cæſarem diſſeruit: *manſuram inter Polonos & Otthomanos diſcordiam oſtendens, ni novi belli materies exſtirparetur.* Nec aliter ſuadebant Procerum multi, qui à Cæſare in conſilium adhibebantur. Captus eſt *Koreccius in Vala-*

chia, & Constantinopolim deportatus, pòst turri, cui nomen *Iedikula*, clausus. Illic, indignissimum casum ægrè tolerans, à lictoribus, ad cædem missis, corripitur, ostendentique cuidam decretum Cæsaris, animum quidem morti destinatum, ait, sed non permittere lictoribus gloriam ministerii. At ille, quamvis inermem, prævalidum tamen, & iræ, quàm timori propiorem, cernens, premi à lictoribus jubet. Nec omisit *Koreccius* obniti, & intendere ictus, quantùm manibus nudis valebat, donec à lictoribus vulnere adverso, tanquam in pugna, caderet.

Cognitis iterum *Zbaravius Turcarum* rebus, magnitudine periculorum in diversas curas trahebatur. At, hercle, illum ambiguum jura gentium, & avita virtus

tus exſtimulabant. Reputabat ſecum, non ignaviâ magnam gloriam parari. Virtutem inter pericula, & hoſtibus coram maximè ſpectari. Id glorioſius, quod difficilius paratur. Per prona, & ſecundarum rerum prænuncia auſpicia, cujuſvis privati, per ardua ad immortalitatem tendere, Principum virorum laudem eſſe. Et commodùm uſque id temporis redierat *Stognievius*, quem *Conſtantinopolim* properè allegaverat, retulitque, tutam Legato honoratamque ſedem *Conſtantinopoli* fore. Et ſive pacem ferret, ſive bellum, abiturum fide, quâ veniret. Talibus igitur firmatus, diem indicit, quâ *Camenecum* conveniant omnes, fortunæ *Zbaravianæ* innexi. At, poſtquam accepit captum *Iaſſis* (*Valachis* ibi aula) *Vevellium*, ſuâ cum contu-

meliâ, etiamnum detineri, rei indignitate commotus, ad Principem *Valachiæ* ſcribit, ſacrum, etiam inter barbaras gentes, Legatorum jus, aut fidem erga Polonos, memorans. Cùm ecce trepidus nuncius, curis eum non parvis implicuit. Nam tum rumor inceſſerat fortè, egreſſam *Valachiâ* colluviem, *Podoliam*, conterminam regionem, ferro, aut flammis vaſtare; fugientibus agreſtibus, aut congredi non auſis, qui, errore veri, *Tartaros* irrupiſſe diſperſerant; ſed pertracti in oppida aliquot, interrogatique, quinam mortalium eſſent, poſtquam nulla dictis fides, & à noſtris noſcebantur, conditione vagabundi, gente *Valachi*, ſumtum de illis ſupplicium, in latronum modum.

Itaque

Itaque September ſe jam provexerat, cùm agmen, & iter Legati ordinatum eſt. Mox poſt publicam officii & curæ ſuæ teſtationem, *Lublini*, publico judicio, factam, *Camenecum* venit: Supremum illum omnium arbitrum, & moderatorem veneratus, uti Legationem publicam, pietate Patriæ inchoatam, ſuâ ope attolleret. Gnarus, ſine cœleſti indulgentia, nihil providenter homines auſpicari. Interim adventu ejus audito, intimus quiſque amicorum, & plerique militares, ut quiſque ſub *Zbaraviis*, *Viſnievieciis*, *Czertevinſciis*, ſive virtutis ſtudio, ſive mercedis causâ, militaverant, venêre *Camenecum*. Et quævis ibi comitatis officia utrinque oblata ſunt. Inde præcipiti in occaſum die, per Tyram,

qui Polonos *Valachosque* interfluit, in *Valachiam* flexit: & spectato munere *Chodkievicij*, vestigia belli, anno proximè elapso gesti, contrectare oculis proposuit. Aderant milites, monstrabantque pugnæ locos. Hîc stetisse contra impetum *Ianizarorum* *Ioannem Veyherum*: hîc *Cosacos* interdum ambiguè, sæpiùs feliciter, præliatos: inde *Stanislaum Lubomirscium* pugnam pariter, & cladem *Turcarum* exorsum. At ortâ luce, *Osmani* etiam castra circumivit, spatia certaminum cognoscendo, strues corporum intuendo, mirandoque. Et erant, quos moverent belli, & præliorum incerta, quæ subinde faciunt, ut major hoste sit, & qui par, & qui minor fuit. Ex campis *Chocimicis*, cum expedita manu, non lento itinere, ne cunctari vide-

videretur, neque tamen properans, gliſcere famam de ſe per *Daciam* ipſo ſpatio ſinebat; cùm initia rerum pro fama eſſe, & ideò utenda exiſtimaret. Multâ deinde die flumen, quod *Pruti* nomen habet, tranſgreſſo occurrit Princeps *Valachiæ*, (*Thomæ* fuiſſe nomen ferunt) provectâ ætate, cum duobus Equitum vexillis. Miſcebantur obvii alii Primores *Valachorum*, albis, & detritis tegminibus, quidam à Principe coacti, plures illos ſecuti. Ante Legatum familiares, ſplendidâ veſte, Juventus, armis, & tergis animalium fulgentes, virtute, promiſſis, aut dignitate Reipub. accenſi. Ipſius Legati phaleræ cultuſque ſplendebat; cùm, ut famam ex conatu, ita gloriam ex apparatu ſæpius intendi, non ignoraret. Cæterùm, animorum

Valachicæ gentis prudens, ſimulque doctus per aliena experimenta, quanquam de induſtria cunctantem Principem, prior non ſalutavit. Tandem Princeps, vultum Legati circumſpectans, ſuetâ *Valachorum* ambitione alloquitur: *Grates ſe Deo agere, quòd, firmandi fœderis causâ,* Conſtantinopolim *eat, ut regiones hæ, continuis cladibus, & atrociſſimis excurſionibus afflictæ, pace fruantur. ut* Coſaci *Tartarique coërceantur: qui tumultuario exercitu impunè prædabundi, pecudum hominumque abactu, creverunt. Verùm mirari ſe, quòd tam multùm moræ in inchoanda Legatione ſit conſumtum.* Unde Legatus, uſu eloquentiæ promtus, *laudatâ humanitate Principis, & fide in Regnum modicè percursâ,* excepit. *Non tutum fuiſſe* Conſtantinopolim *ire illo rerum turbine,*

ne,

ne, quo, converſis ad civiles iras Tur*carum animis, externa ſine cura habebantur. Se moleſtè ferre*, Vevellium, *comprehenſum Iaßis, adhuc à* Valachis *concludi, violato, quod Barbaris etiam ſacrum eſt, gentium jure.* Princeps, quanquam Legato præſente indignationem texit, offenſus tamen non leviter, Legatum graviùs pòſt apud *Vezerum* incuſavit. Quod, ſicut alia ſubdola, & perfidioſa, in loco à nobis memorabitur. Inde, inter coëuntes noſtros *Valachoſque*, ſalutatione factâ, in tabernacula, Legati causâ expanſa, ventum; ubi largis epulis vinoque, manente per ſpeciem amicitiâ, exceptus Princeps. Libatis, qui nunc mos eſt, Turcici Imperatoris & Poloniæ Regis, ſaluti, poculis, id curabant familiares Legati, ut

res

res Turcarum, concordiam, consilia, animos, quantùm fieri poterat, indagarent. Sed Valachis in rebus, quas non occulerent, naturâ suspensa semper, & obscura verba: tunc verò nitentibus, ut aliud loqui viderentur, linguam vero cohibebant, ne quid erumperet, incertum, metu *Turcarum*, an per invidiam adversus nostros. Secutâ die, comitante *Valachorum* Principe, ventum in campos, quos ferunt olim uberes, incolisque habitatos, ab *Alberto*, Rege Poloniæ, hostiliter populatos; multùm sanè memorando in partem Polonorum eventu. Vesperascente die, cùm Princeps *Valachiæ* injurias cœli, ac pluviarum tolerare non posset, tùm ut *Vevellium* dimitteret, cum fidissimis Jassos pergit, neque fidei con-

constans, neque strenuus in perfidia. Polonos cupido incessit adeundi videndique locum, in quo *Ioannes Potoccius* succubuit, cum egregia suorum manu. Nec quisquam erat adeò rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Poloni exercitus Ductorem, hostilium rebelliumque Legionum paulò ante Victorem, versâ fortunâ, vicinas inter gentes succubuisse. Usque adeò res humanæ, quoties in altum surgunt, eò faciliùs graviúsque ad ima decidunt. Cœptâ luce, *Valachorum* Princeps, Jassis cum *Vevellio* egressus, iterum Legato occurrens, occanere cornua tubasque jubet. Ipse Legatum accedens, amicitiæ simulatione rogavit, uti in oppidum diverteret. Legatus primùm ambiguus, seu quia occulta formido

do reputanti ſuberat, haud proſperum in *Zolkievio* Imperatore favorem *Valachorum*, breves, & infauſtos ſemper adverſus Polonos amores: ſeu quia in Legationis curas, & pridem conſulta, intentus erat. Deinde annuit; uſus pro ſecuritate prudentiâ. Atque, promoto ſenſim itinere, oppidum inivit, magno mortalium accurſu, & eximiis Principis cultus officiis, ac donis; cùm ita tegi fallacia ſua conſilia arbitraretur. Interea temporis *Cantimirus*, ſubitaneæ felicitatis ſenſu corruptus, tranſiſtrianum Scytham miſit ad Legatum (dubium an ex compoſito cum *Valachorum* Principe) qui expoſtularet, *moram in Legatione eſſe. Iret properè potiùs Legatus* Conſtantinopolim, *aut ſe ex* Siliſtria, *omni præciſâ morâ*, Varſoviam *caſtra trans-*

translaturum. Ad eam legationem delectus, acris quidem, sed præcipitis ingenii, & linguâ procax, adiit Legatum, & mandata superbè, atque inurbanè edidit, viridantem ramulum manu præferens. Legatus, cui vetus, & penitus infixum erat, ita consilia tractare, prout ratio rerum, aut occasionũ velocitas patiebatur, paucis respondit. *Nequáquam decorum muneri suo fuisse*, Constantinopolim *ire illis turbidis rebus, divisis studiis, & magno omnium motu*. Addiditq; *Valachiam superiori bello consumtam, vastas solitudines, aditus viarum latronibus septos, & alia festinationis impedimenta*. Enimverò severo hominem vultu intuitus, exprobravit *Cantimiri* arrogantiam, superbiamque.

Sic compositis præsentibus, in Moldaviam concessit, visis à longè

gè mœſtis locis *Cecoræ* Polonæ calamitatis ſpectaculo : & *Valachorum* Principe iterum, cum utraque cohorte, accurrente, ſive Poloni nominis reverentiâ, ſive Turcarum juſſu. Factum ſub idem fermè tempus, ut literę *Suliſzevij*, obſidis apud Turcas Poloni, in Poloniam deſtinatæ, Legato traderentur. His retulerat, *Huſſeimum, virum neceſſitatibus Turcicis unicè accommodatum*, Conſtantinopoli, *& dignitate exutum, rebus admotum* Dziurdzium, *non modò ſordidæ, ac præpotentis ſenectæ, ſed etiam profundæ, & intempeſtivæ gulæ. Gliſcentibus Procerum iris, publica minùs concorditer tractari : in ſomnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium converſam* Thraciam. Vezerum *tamen, languere ſuos otio ignaviâque ratum, undique materiam contra*
Polo-

Polonos excitandi belli quærere, quem, ut assolet, reliquos Proceres, libidine adulandi, sectari. Satis jam compositam Persiam, commoda Vezeri *occasione, veluti citiùs, Persarum Rege in fide manente, Poloni, bello aggrediendi essent.* Tunc Legatus, periculi certus, celare interim studio altiora consilia, cætera ex eventu judicaturus, interrogare Principem super *Dziurdzio* cœpit. Retulit Princeps ad Legatum de rebus à *Dziurdzio* gestis, multaque de virtute ejus memoravit, haud iniqua verbis, re subdola, & quæ suis faciliùs, quàm Legato persuadebantur. Demum, conscientiâ flagitii, fixis in terram oculis, in ipso *Valachiæ* limite, Legatum dimittit, faustâ comprecatione felicem longinquioris profectionis successum precatus; ita factus na-

râ, & adſuetudine compoſitus, ut odium fallacibus indiciis velaret. Legatus grates agit, & (qui finis plerumque ſolet eſſe cum externis) multis humanitatem laudat ; ſed triſtior, haud inani futuræ difficultatis præſagio. Cæterùm multa de incepto factoque ſuo cum animo agitando, cùm maximè percelli poterat, maximè tamen erectus eſt, præ indole, ac ardore gentis Polonæ, cujus virtus in adverſa, & pericula contumax. Præterea reputabat ſecum, ſe Magnorum Parentum veſtigia premere, qui inter prima habebant, ultrò triſtiſſima ſubire, iiſque non laſſari. Deinde veniebat in mentem, nec inconſultò quidquam faciendum, & conſulta celeriter expedienda. Nempe ſatis citò conſuluit, qui conſuluit benè, & fruſtra

ſtra benè conſuluit, qui, quod benè conſultum eſt, magno animo effectum non reddit. Ad extremum, omnem impetum volubilis fortunæ virtute, & conſtantiâ ſuperari.

Flumen exiguum *Valachos Moldavoſque* interfluit: cujus in ripa Legatus, poſitis tentoriis, adſtitit, ut rerum *Turcicarum* indagationi totum ſe impenderet. Tùm verò non multò pòſt Ductor exercitûs *Moldavici* venit: qui, à veneratione Polonorum orſus, flexit ad legatum, præcipuis laudibus celebrans, *quòd, publicæ cauſæ orator,* Conſtantinopolim *iret. Sui deinde Principis* (Radulii *cognomentum erat*) *lætitiam, fidem erga Rempubl. Polonam, vel ſuperiori bello apud* Oſmanum, *&* Kapudzi Baſſam *probatam, extulit.* Ut ſermonem finivit, reſpondit Legatus,

Radulio Reipubl. gratitudinem, ſuam benevolentiam teſtatus. Poſtridie aliquot horarum iter progreſſus, indicio *Moldavorum* cognovit; adeſſe *Radulium*, & Procerum *Moldavicorum* agmina; alio latere propriam manum ducente *Radulij* filio, virtutis expertæ. Itaque equo profectus, obvium, ſed articulari morbo feſſum, extra oppidum habuit *Radulium*, & multos Nobilium circa. *Radulius*, magno animo, & bonæ ſocietatis lætus, rhedâ egreditur. Nec cunctatus Legatus, ſed cùm à *Radulio* abeſſet propiùs, equo deſiliens, ad eum deflexit. Ita pedes uterque dextras miſcuêre. *Radulius* in hunc ferè modum Legatum alloquutus. *Non hic mihi primus erga Polonos amicitiæ, & benevolentiæ dies. Ex quo Principatum* Moldaviæ *accepi,*

cepi, amicos inimicosque primùm ex vestris utilitatibus delegi: dein, superiori bello, & si fide erga Osmanum *prævalente, (quippe* Otthomanico *obnoxius sum imperio) pacem tamen quàm bellum parabam. Ergo Legatum Reipubl.Polonæ, Pactorum firmatorem, lætus hodie excipio, atque ubi primùm ejus copia, quieta turbidis antehabeo. Neque ob præmium; sed ne populationibus aperta agrorum vastentur. Tuum erit consultare, utrum prævaleat pax, in quam, me authore, convenistis, an dubij bellorum casus, & sortes hominum. Legatus, prudenti responso, Principis amœnum, & civile ingenium, miram comitatem, propensum in Rempubl. animum, extollens, egit, quæsitis sanè verbis, ejus virtuti gratias, cumulatèque se relaturum pollicitus. Radulius,* lecticæ gestamine delatus, Legatum in oppidum

invitavit. Annuit ille, jamque die inumbrante ingreditur, honorificè exceptus, lautè habitus, & duobus insignibus equis à Principe donatus. *Tertio* pòst die, magnâ utrinque specie, inde Eques, compositus per aliquot Turmas, & insignibus *Turcicis Moldavicisque*, hinc familiares Legati stetêre. Medio campi *Radulium* Legatus arctè, nec sine utriusque lacrymis, complexus, abscessit, profutura consilia meditatus. Et spectabatur undiq; occursante populo, composito ore, & sermonibus variis tempus, atque iter ducens, donec ad *Danubij* ripam veniens, currus, vehiculaque demittere fluvio juberet. Regionis hujus forma pulcherrima, &, veluti unicum exemplum in uno loco gaudentis naturæ. Illic herbidi apricique colles, inde florida pra-

prata, uberrimique ad pabulandum campi; juxta nemora, sylvæque, eo prospectu, & varietate, ut his modò illa, modò hæc sola, interdum simul omnia gratissimâ mixturâ lætentur. Ad *Danubium* festâ gratulatione à præsidiis *Turcicis* exceptus, *Kulikovium cum Vevellio Constantinopolim* præcedere jussit, quantùm opis ac fidei foret in *Turcarum* Proceribus, ad coërcendas *Vezeri* factiones inquisiturum. Procedente jam die, transgressus *Danubium*, venit in *Serviam* & *Bulgariam*, aëris noxio afflatu ingravescentes, tantâ morientium fœditate, ut viæ cadaveribus implerentur. Eò insaniæ incolæ venêre, ut pestilentiam, communem casum esse existiment, accidentemque ex morbis mortem, naturæ credant finem, non pœnam, & fatalem necessi-
 tatem,

tatem, quæ unumquemq; manet, præsentire quàm vitare faciliùs arbitrentur. Equidem ego universis quę infra orbem lunæ sunt, finem ævi, aliaque, semel posita, eventura, & ad hanc legem adigi semper, non abnuerim. Neq; tamen facilè mihi quis persuaserit, eadem fatorum vi, ne ullum sit remedium, quæcunq; tuendis nobis in ipso discrimine faciunt, humanis consiliis præscribi. Illud potiùs existimarim, eos, qui, ambitiosè pertinaces, hæc intermittunt, cum *Apolline Delphico* impiè sentire, fatis, ne Deum quidem, posse obsistere.

Cæterùm priscos illos *Polonos* quidam opinantur, in littus *Adriaticum* delatos, adiisse has Regiones, ulterioresq;, quæ similem nostræ linguam hodieque retinent, inhabitatas cultasq;. Quidam autem,

tem, licentiâ vetuſtatis, *Lechum* (quem originem gentis noſtræ conditoremq; memorant) hinc pulſum, in noſtras terras veniſſe, affirmant. Mihi neque confirmare argumentis, neque refellere quidquam hîc vacat: integrum ſit unicuique annalium *Scriptoribus* demere, vel addere fidem. Ipſe eorum opinionibus accedo, qui initia harum gentium, ut pleriſque in ſeptemtrione, obſcura, antiquitatis argumentum eſſe volunt.

Porrò, interjectis aliquot diebus, in Hęmum & *Rhodopen* Legatus venit. Ac quanquã præceptus labor, ipſeq; ingrediendus ſolitudinis, & tenebrarum horror, ad omnem patiẽtiam animos duraverat, res tamen triſtis experiendo fuit, per tot obſtãtia, & invia,

per edita, & depreſſa terrarum. Igitur paucæ horæ inſumtæ reficiendis curribus; ſimul montem, Poëtarum fabulis inclytum, & motas cantu Orphei rupes, nemoraque adeunt. Inde ad planum deſcenſum eſt locis mollioribus, non accolarum ingeniis; ubi jumenta in pabulum miſſa, & quies muniendo feſſis hominibus data aliquot horis. Petitis inde multis oppidis Caſtelliſq;, tranſmiſit *Adrianopolim*, urbem elegantem, nobilem, munitam. Hîc *Ianizarorum* præfectus, quantâ potuit maximâ voluntatis ſignificatione, Legatum accepit. Gratulatum ei Machinarum omnium feſto ſono, cæteroque militaris lætitiæ plauſu. Et multis, quæ varietate fortunæ, & antiquæ gentis origine, veneranda, viſis, venit in hiſpida,

da, & ſalebroſa. Hîc à *Selimo*, in omne fas nefaſque avido, Patrem portentoſo ſcelere, ad bellum laceſſitum eſſe, vetus fama tenet. Juſtâ uterque manu convenerunt, & pro *Selimo* fortuna fuit: & inde locum imprecationi datum. Primâ luce vidit Coloſſos, qui ſaxo ſtruebantur, dum *Oſmanus*, indole animi, ſimul ſpe inani, ex Polonis victoriæ, ferocior, ſuperiores Cæſares, dein ſuaſmet ipſe ſpes anteire pararet, & proferre magnitudinem *Turcarum* ultra *Tyram*, ultraque maris *Baltici* littus, Imperii *Otthomanici* reverentiam. Unde tranſgreſſus in ea loca, quæ ad propontidis anguſtias, & os Ponticum pateſcunt, olim annonæ fœcunda, nunc arva inculta, ferociaque. Hinc ad arctiſſimum inter *Europam Aſiamque*, divor-

tium deflexit, cupidine veteres locos, & famâ celebratos noſcendi. Inter ea miracula, quibus animum intendebat, pręcipuus fuit, marmoreus in mari pons, in altum eductus, certamine & opibus *Turcarum*. In medio ejus tabella aurea, monumentum liberalitatis Turciæ ſpectatur. *Flexu* itinerum facto, ipſa *Conſtantinopolis*, aſpectu optato, ita repente promulſit animos noſtrorum, ut fatigationem ſuſceptoſque labores, novi ſpectatores contemnerent. Quæ dum expono, libet de *Conſtantinopoli*, toties mihi dicta dicendaque, aliqua tantùm profari, ſitumque ejus, libero ſcriptoribus egreſſu, memorare.

Jacet amœniſſimâ terræ regione, qualem plurimi *Europâ Aſiâque* totâ vidiſſe negant. Agri undique

dique frugum pabulorumq; læti,prata omnio, virgultis perpetuis cincta, frondiculi & strepentes rivi distinguunt; veluti littore genuino. Ad littus maris cupressorum ordines, vel ad regulam, vel in quincuncem dispositi, itinera passim, palatiaque Procerum lætâ viriditate inumbrant. Aquarum marinarum intercursu in tres partes dividitur, quasi ad propulsandam vim terra non sufficeret, aqua etiam in conatus irrumpentium conjuravit. *Vrbium*, quas *Thracia* complectitur, maxima, adversus vim semper valida, & quovis militiæ apparatu abundè instructa. Spacio, ac cœlo in orientem extremis *Euripi*, in occidentem firmæ solidæque terræ, obtenditur: propontidis fluctibus in meridiem pulsatur.

Septemtrionalia ejus habet promontorium, cui ab angulorum exſtantium, & ex utriuſque lateris fronte prorumpentium, ſpecie, cornu, à *Geographis*, inditum eſt cognomentum. Formam ejus longam magis, quàm latam triangulari iidem aſſimilâvere, adnotâruntque ſeptem colles in ea contineri. Horum primus viſitur juxta Regiam. Secundus huic opponitur, quà terreſtri itinere via ducit *Adrianopolim*. Inter tertium, & quartum cernitur vallis (magnæ nomen eſt) habens fontes perennis aquæ, ab Adriano Imperatore, ad miraculum futuræ poſteritatis erectos, à *Solimano* ſecundo auctos. Aquæ in altitudinem redeuntes originis, per varias fiſtulas, atque formas micant, mox in ſubjectum alveum redeuntes, fervent ipſo tumultu laben-

labendi. Arcem quin etiam antiquam, ſuper tres colles poſitam, ſeptem turribus, quàm ampliſſimè projectis exſtare. Eſſe in hac ſtructura tantam artem memorant, ut quæ dicantur in una turri, intelligantur in cæteris; non eodem quidem momento, ſed ordine quodam, & ſucceſſione. Huc nuper *Oſmanus*, per militarem licentiam detruſus, ſuffocatuſque, laqueo periit. Eſt videre in urbe multa antiquitatis monumenta, Pyramides, ſtatuas, quæ inclinatæ jam, ac labentes, à *Turcis* reſtituuntur, publicâ munificentiâ. Inter alia, tres ſerpentes marmorei: qui, mutuis nexibus implicati, ad duorum hominum altitudinem aſcendunt. Hîc primùm futurus miles æſtimatur: hîc experientia juventutis: hîc cos acuendæ virtuti *Turcicæ* eſt.

Eſt in eodem loco & columna, raræ artis; ſaxis, ſine calce & cæmento, adunatis conſtans, habetque in medio ſcalam turbinatam, quâ ad ſummum adſcendunt. Hanc Arcadius ſtruxerat, re Romanâ proſperè contra Germanos geſtâ, triumphoque de Gotthis parto. Sed, præter hæc, nihil hîc non admirabile, aut cum aliqua veneratione ſe oſtendit. Mœnia urbis, perpetuo cupreſſorum ordine conſita, lateritio aggeſtu ſtructa, portis lateritiis tribus, ad ternos urbis angulos, aditum prębent. Mœnium arciſq; interjacẽtis latera ſuſtentant munimenta multa: in quibus machinarum majorum multitudo tãta, ut par, poſt hominũ memoriam, unum in locum pariter haud unquam fuerit educta. Sed jam Legationis ordinem perſequamur.

Le-

Legatus, quanquam paratis omnibus dandum adhuc ſpatium ratus, citatim ad *Vezerum* pręmittit familiarem, promtæ facundię: *Venire ſe* Conſtantinopolim, *amicitiam, & pacta* Solimani *cum* Sigiſmundo Primo, *in quæ nuper iterum ad* Chocimum *itum, memoraturum.* Interim eum *Suliſzevius*, & *Kulikovius* cõveniunt, ſimulq; *Vezerum eſſe animi tumidum, ſed immodicè timidum, artificem tamen ad occultandam audaciæ ſpecie formidinẽ, abundè, nec falsò aperuerunt.* Enimverò, dum hæc aguntur, Secretarius *Vezeri*, præmiſsâ Legato adventûs gratulatione, ut negotiatores, exercẽdæ mercaturæ ergò, ex Regno cum Legato venientes, telonia ſolverent, admonuit; ſecus, mercibus fiſco addictis, turpem, in cõſpectu Legati, ignominiã accepturos. Legatus, ex præſen-

ſentibus futura jam haud dubiè colligens, aliena hęc, & antiquo fœderi adverſa, reſpondit; adverſus ſubita rerum evēta nunquam improtectus. Addiditq;, decretū ſibi eſſe, vel jam inter ipſa vitę rudimenta, integritati Reip. honoriq; ſuo, humana prorſus omnia poſthabere. Negotiatorū potiùs cæde imbueret manus *Vezerus*, leviore flagitio illos interfecturus, quàm ſacroſancti fœderis religionem violaturus. Adfluebant interim Legatorū Chriſtianorum Secretarii, monebantq;, promta Polonis Legatorum ſtudia, agerent omnia pro Reip. dignitate. Cæterùm Legatus, hactenus inter diverſa anceps animi, rem communicavit cum ſuæ Legationis ſecretario, qui mos eſt Legatorum, ut ſuum quiſq; à Rep., honoris gratiâ, habeat. Is præfectus *Vrzedovi-*

doviensis erat, ab exilio retractus, vir illustri genere, ac eâdem prudentiæ famâ. Qui ne mentem suam Legatus impotentis temeritatis incursu ferri pateretur, suadebat. Temperamentum fortitudinis, & modum impetûs ita tenendum, ut nihil acriùs, quàm consideratiùs excitetur. Sępè honestas rerum causas, temeritate nimiâ perniciosos exitus consequi. Haud magnâ mole Legatus, promptus bonis consiliis, (quod præcipuum rerum agendarum instrumentum) in sententiam trahitur. Missoque in urbem *Kulikovio*, magni viro animi, & agnitæ virtutis, incusat *Vezerum* inhumanitatis, seque contemtum, jura gentium identidem ingerens, & pacem sperni. *Vezerus* dicitur secum multùm agitavisse, vultûs colore, ac motu
cor-

corporis, pariter atque animi varius: quæ ſcilicet, tacente ipſo, occulta patefecerunt. Demum, non immutatâ voluntate, iterum alium à primo ad Legatum cum *Kulikovio* legat; adjecitque, non eſſe in urbe pro Polonis diverſoria, cultu habituque Legati atrocioribus verbis perſtricto. At in urbe, poſtquam Legati adventus percrebruit, cunctaq;, ut ex longinquo, aucta ſæpiùs adferebantur; ut fermè veris falſa permiſcentur. *Ideo nimirum Legatum veniſſe, ideò poſt tot menſium ambitum, in hoc conſenſiſſe ad* Chocimum Polonos, *ut ſingulis annis tributum* Otthomanico Cæſari *numeretur.* Hos *Turcarum* ſermones *Dziurdzius*, fax & turbo illius temporis, adeò incendit, ut, quamvis falſa, ut quiſque obvius in alios, atque illi in plures,
cumu-

cumulata gaudio transferrent. Verùm ad hæc *Turcica* accedebant alia, quæ minùs ſperabantur. Certè compertum habeo, *Boëmos*, partim hæreſi corruptos, partim rebellionis ſuæ metu anxios, intendiſſe vera, adgeſſiſſe falſa, Legatumque dolo ſimul, & caſibus objectâſſe, ut novis rebus locus patefieret. At Legatus, ut & virtutem exſereret, & fortunam tandem tentaret, réſpondit *Vezero*, *ſe* Janizarorum, *trucidantium Cæſares, exturbantium* Vezeros, *opem operamque imploraturum: & in ipſo aditu, atque ore civitatis, tabernacula, carbaſeis intenta velis, (in hac diverſoriorum inopia) collocaturum, moræ ſuæ gentis, quæ potiùs in campis vivit, quàm incluſa tectis, mœnibuſque. Manſuram inter utramque gentem pacem, amicitiamque, ſi nullo onere tentarentur* Poloni; *ſin, ut*

ut victis, servitium indiceretur, esse Regno ferrum, & viros, promtos libertati, aut ad mortem animos. Meminisset Vezerus, *superesse adhuc Polonis illibatam illam dexteram, ut tenacem datæ fidei, ita acceptæ, si negligetur, vindicem. Nempe hos ei spiritus intendebant, & renascens* Spahiorum *cum* Janizaris *tumultus, & aliorum civilium dissidiorum moles, & crebræ inprimis* Vezerorum *mutationes, in illo miserando pariter, & erubescendo statu civitatis.* Timor inde *Vezerum* incessit, ne Imperium, sine prudente Cæsare, *Ianizarorum* iterum accensis animis, ars aliqua Christianorum adoriretur. Quapropter omittere primos conatus, consilii quàm inconstantiæ arbitratus, in Legatum, quasi in Polonorum gratiam, contulit negotiatorum telonium, cum id rarum apud *Turcas*,

cas, nec nisi eidem superstitioni, pretium esset. Interea verò sub vesperæ crepusculum, indicit ingressui Legati sequentem diem; populum tamen edicto admonuit, ne Polonorum ingressum spectarent, addito gravi in contumaces supplicio. Quod tamen multitudini persuadere frustra conatus est; indole generis humani, omnia aggredientis quæ vetantur.

Die ingressui dictâ illucescente, distributis in socios & contubernales equis, fas Patriæ, libertatem avitam, quanquam consideret virtuti, commendavit Legatus. Ne Reipubl., & Regis, denique dignitatis suæ desertores, quàm defensores esse mallent. Ne cum strepitu, & tumultu, nullo certo ordine, & Imperio, quisque primum locum teneret.

neret. Sic compoſitos in obſequium, virtutis & Reipubl. inſtinctu, in campum deduxit. Campum, & prima loca, pedites *Pannonici* tenuerunt: quos impedimenta, currus, ſtemmatibus *Zbaraviorum* inſigniti, aliaq; confertim ſequebantur. Poſt quæ reliqui familiares ſic inceſſerunt. Multi levis armaturæ in fronte: poſt quos decem delecti familiares, auro gemmiſque ſplendentes: dein cum quadraginta ipſius Legati, ac delecto equite, amici, & Procerum *Polonorum* filii. Egregia ſanè manus, ſive corpora ſpectares, ſive arma. Hâc multitudine præmiſsâ, ipſe Legatus inceſſit, medius inter *Achmetem* & *Muſtapham*, qui pro obſidibus ad *Chocimum* dati, in fidem eorum, quæ agerentur. Legatum præcedebat ſupremus Legationis
Secre-

Secretarius, veſtibus armiſque decorus: ſequebantur lecta Polonorum corpora, *Suliſzevius*, *Kulikovius*, *Platembergus*, quibus ſe adjunxerat *Vevellius*. Mox decem cubicularios, cum armis ſuis inſignibuſque, ſubſequi juſſit: quos quinquaginta alii adoleſcentes ſecuti, habitu *Dalmatico*, vigentes ætate, claris natalibus. Tandem centum Contubernales Legati, ſociorumque ejus pulcer delectus, inceſsêre. Denique quadraginta *Zbaravianæ* domûs jaculatores, quibus *Strzeleccius Præpoſitus*, agmen claudebant. Hic ſociorum clientumque ordo. Et jam eunti Legato, centum Secretarii Cæſaris proceſsêre obviam, ſplendido apparatu ad venerationem cultumque. Atque ubi primum ex alto viſi noſtri, complentur non modò viæ, & pro-

xima urbis, ſed mœnia, & tecta, quàque longiſſimè proſpectari poterat *Turcarum* turba, ac rogitantium inter ſe de Polonorum moribus, & habitu diverſa. Augebat famam ipſius Legati ingenium, quantæcunque fortunæ capax, inſignis corporis forma, cum quadam majeſtate. Poſtquam in urbem ventum, nullus in ea fuit, aut *Turcarum*, aut externorum, quin altiſſima tecta peteret, atque ex omni proſpectu locum ſpectaculo caperet. Palatium ingreſſus Legatus, epulum ex more præbuit familiaribus, victa tædia, & moleſtias inter ſe referentibus gratulantibuſque. Mos apud *Turcas* habetur, Principum Chriſtianorum Legatos, cum paucis *Turcarum* ſedentes, veſci in aſpectu omnium, propriâ & ſolitâ menſâ, in qua

rerum pariter ac famæ momenta. Ita epulanti Legato à *Vezero* varii fructus missi, additique *Ianizari* per speciem honoris, custodes exploratoresque. Et postero die, à cæteris Proceribus, mala granata, & alia, quorum fecunda *Constantinopolis*, afferebantur, certatumque, ut, omnibus officiis, gratam sibi Legati præsentiam ostenderent. Eâdem die Legatus, ut largitione causæ patrocinium adjungeret, Proceres, præsertim quos in aula conscios arcanorum, & transactores noverat, muneribus onerabat: quæ *Samuelis Tuardovij*, viri eruditione & nobilitate illustris, carmine celebrata, non operæ est referre.

Post octiduum, inumbrante vesperâ, *Vezerus*, fictâ humanitate postulat, veniret Legatus ad publicum *Vezerorum* Palatium;

isthic de pace colloquio transigeretur, proximi diei luce ortâ. Itaque, postquam dies illuxit, Legatus, ut splendidus apparatu, per mediam urbem incessit: ita non pro spe sua excipitur, cùm *Vezerus* palatio se contineret; inferius majestate suâ ratus, si obviam prodiret. Quo facto, nihil in speciem turbatus Legatus, officiisque breviter cum *Vezero* transmissis, multa facundè præfatus *de pristinis utriusque populi fœderibus, de amicitia inter Cæsares orientis, & Reges* Poloniæ: *tutiorem demonstrans pacem, quæ ante pericula, ceu divinitus data, caperetur, quàm quæ, debellato universo orbe, post datas acceptasque clades, ab incerta sorte speraretur. Et majores quidem vestri,* inquit Legatus, *pacem semel pactam servarunt fideliter:* Osmanus, *cum quo nuper armis*

mis certavimus, quid habuit, non servatum à nobis in antiquo fœdere, ut meritò bellum illud tam repentè decreverit, &, denunciatum per Otfinovium, *intulerit? Num* Thraciam, *aliasque Provincias cum exercitu nostro invasimus? Num fœdus societatemque, & subsidia adversum vos vidistis? At cum* Skinder Bassa *bellum ad* Cecoram *gessimus! At* Tartari *regiones nostras populati sunt, duce* Cantimiro, *qui vagos primùm, & latrociniis suetos, ad prædam, & raptus congregare solebat: dein more militiæ per turmas componere: Ferebamus tamen propter vos omnia. Sed cùm ille, nullum nefariæ cupiditatis suæ finem capiens,* Podoliam *aliis post alia detrimentis afficeret, ne his contentus, crescente per rapinas studio, & voluptate rapiendi, rursus* Volhyniam *invaderet tandem effecit, ut pax turbaretur,*

vindicandæ magis injuriæ, ob vastatas regiones, quàm ut, cæci ambitione, & avaritiâ, vestra invaderemus, ac prædaremur. Actum deinde ad Chocimum *de pace, concessumque in conditiones, ut utrique genti antiqua fœdera essent sacrosancta: neve* Tartaris Cosacisque Boristhenem *transgredi liceret. Præteritas porrò injurias oblivione sempiternâ delendas, vestri nostrique Controversiarum arbitri, censebant: ne ex iis, veluti ex relicto cinere, latens quandoque veniret, resurgeretque bellorum flamma. Et Octavus jam dies agitur, ex quo* Constantinopolim, *per immensa itineris spatia, per varios casus, viarumque prærupta, veni, cum libera potestate pacem confirmandi, utriusque gentis arbitrio.* Hæc Legatus: ad quæ *Vezerus* respondit: *Causas belli* Chocimici *non esse exponendas, eas Polonos ex* Dilavero

vero *in* Valachia *cognoviſſe. Quòd Rex, & Reſpub. Legatum miſerit, laudandum: de cætero armis quid opus eſſe, ſi pace frui liceat?* Hæc fatus intumuit ſuperbiâ ferociâque, & tributum ſolvi poſtulavit; non ut aſſequeretur, ſed anſam diſcordiarum. Me enim haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui falſam *Dziurdzÿ* de tributo opinionem, ſicuti fuiſſe injuriarum Legati occaſionem, principiumque non abnuunt: ita non fuiſſe cauſam affirmant. Altiùs enim multò hærebat cauſa. Nimirum inſita *Dziurdzÿ* ſuperbia, indignatione ac dolore ſtimulata, aucta perſuaſionibus *Valachorum, Boëmorum* conſilio, *Moſchorum* Legatione. Hæc profectò fuit cauſa; quæ ſi non hinc ad injurias faces accendiſſet, aliunde materiam incendii quæſitura demum

mum erat. Nactus autem hanc *Dziurdzius* occasionem, arma contra Polonos corripere voluit; tantò honestiore specie, quantò majestatem *Otthomanicam* tueri, tributum repetere, pactorum violatores armis persequi, non æquum modò, sed etiam gloriosum potuit videri. Porrò Legatus omnia circumspicere, atque agitare cœpit, ut arte aliquâ terrorem *Vezero* incuteret; gnarus primis eventibus metus, aut fiduciam gigni. Itaque, vultu ad gravitatem composito, in hunc modum exorsus est. *Nihil evenit, cur antiquitus instituta exolescerent, aut Polonorum libertas minueretur, quam semper non fortunis, ac bonis tantùm, sed vitâ ipsâ, ac sanguine redimimus, si teneri quidem aliter, ac possideri non potest. Sint illi servi, qui liberi esse nesciunt; Poloni*

pro-

profecto alieni impatientes arbitrij, & Otthomanicæ servitutis instrumenta, esse non possunt; honestiùs utique in jugum casuri, quàm ituri. Injuriam nec facere, nec pati sciunt, bella neque provocantes, neque timentes; sed hostibus palàm faciendo, lacessitam armis patientiam suam acui sæpeque virtutem, pace aut otio sepultam, exercitatione armorum accendi, inclarescere. Meminissent modò Turcæ Chomici *belli, ad cujus eventum nunc primùm orbis hæret, atque obstupescit. Cum enim pugnandum, nō exspectamus hostem, sed quærimus; cum quo commissi, non Phrygeo pileo, aut fluitante veste, quæ sæpè tantùm virtutis simulacra sunt inter ignavos, sed nudo pectore, & exposito, quod animi ac virtutis robur firmavit, utimur. Proinde nulla tributorum mentio facienda; imò ut prædarum receptor, ac socius popu-*

 landi

landi Princeps Valachorum, Valachiâ *privetur volo: quod ut urgeam, huc sum ablegatus, & moras aversor.* Ad hæc *Vezerus* diſſidii certus, ſubjecit: *Non adeò turbatas civilibus armis res* Otthomanicas, *ut Polonis etiam, ſitu modicis, & opibus nuper exhauſtis, deſpectui ſint. Superesse fortunam Cæſarum, & ultorem Deum: cujus ſingulari benignitate evenit, ut* Otthomani *ſimul cum magnitudinis ſuæ progreſſu, non niſi illuſtriſſima quævis tropæa ac triumphos numerarent. Sic olim* Ludovici Ungariæ Regis *ſpiritum, nuper* Perſarum *ambitionem, cecidiſſe:* Rhodios *exemplum dediſſe, ne quis, non provocatus,* Otthomanis *malum creet. Eadem rurſus Numina, eadem fata, ipſum propemodum genium felicitatis, exſpectarent.* Non *laturos* Otthomanicæ *propaginis poſteros gloriam, ac ſpiritum extingui*

gui majorum ſuorum: qui armorum virtute, regna gentibus, Regnis Machometanam *religionem, metum univerſo orbi dedêre.* Hæc magis hoſtiliter quàm hoſpitaliter locutus, poſtquam perſtare legatum in libertate vidit, inter obſequia fortunæ, minùs jam cupiditati ſuæ imperans, probris in Legatum, & Polonos non abſtinuit; ac quominùs ad manus, ac ferrum tranſiret, jure gentium vix cohibebatur. Perculſus inter hæc improviſo verbo Legatus, paulùm reticuit, dein animo collecto, violati hoſpitii fœdus incuſans, abire ſe ad Cæſarem & *Ianizaros* teſtabatur, eâ eloquentiâ, quæ magnitudini rerum reſponderet; eâ libertate, quæ licentiæ illorum temporum apud *Turcas* debebatur. Ita apertis utrinque odiis diſceſſum. Com-

 motus

motus est deinde *Vezerus*, & quanquam mitibus verbis permulsisset ipse Legatum, domesticos quoque suos impulit, ut abeuntem persuasionibus tenerent: Haud minùs justi doloris documentum idem legatus mox dedit, conquestus coram *Vezeri* domesticis, se per fas ac fidem decipi, libertate vehementis spiritus dictis pariter ac factis testatâ. Idque Vezerus credebatur, ut inferius dignitate suâ, gravi & dissimulatâ offensione, abdidisse. Futura tamen animo semper præcurrens, legatum in Regiam antevertendum ratus, *Soltanam* hac de re certiorem facit: Cæsarem occupet, legatum observet, conatus Imperii bono contrarios, pro sua prudentia frustretur. Simul Proceribus eadem aperit, additque multa ignominiosa;

nioſa; per iracundiam convitia in quoſvis rotare ſolitus. Ex quo rumor increbreſcere paulatim cœpit, poſtquam leviter ſeu vera ſeu ficta audita, alii in alios, hi in plures transferrent.. Uſque adeo rumores, ſine ullo veri falſique reſpectu, avidè arripiuntur, avidè communicantur. Chriſtianorum quiſque Legati causâ mœrebat, &, ut ſævienti fortunæ ſubmitteret animum, fatiſque cederet, ſollicitus hortabatur. Circumtulit tamen ille, inter hęc mala, & tempeſtates animum pluſquam humanum, invictum, & ubique parem ſibi; teſtatus, nec provocari à ſe pericula, aut contemni, ſed ex animi magnitudine prudenter æſtimari.

Interea *Krokerus*, medendi peritus, & Legato à Conſiliis intimus, dum, adverſâ *Soltanæ* vale-

tudine, in Regia detinetur, expositis, quantâ maximâ potuit moderatione, injuriis, Legato à *Vezero* illatis, nec *Soltanæ* patientiam læsit, nec muneri defuit suo. Ipse Legatus, ubi recreatam accepit, composito libello rem aperuit, per Majestatem Imperii, per amicitiæ fidem orans, ut suæ dignitatis, & publici juris ratio haberetur, datis aliquot arbitris, qui res suas propius inspicerent, unicèque curarent. Se ejus Majestati, quibus in terris ageret, addictissimum perpetuò fore. Legato peramplè responsum, gratiaque & cura magnificè promissa. Ac cùm prorogaret sententiam *Vezerus*, *Soltana* intercessit, nimiam superbiam increpans, fortunæ blanditias reverenter habendas, ferociùs quàm efficaciùs monens. Simul adnectebat, scire quan-

quantùm intus diſcordiarum, quamque indomiti, ac præferoces milites eſſent. Contra Polonis immotam ubique pacem, & unum in Livonia cum agnato bellum eſſe. Igitur *Dziurdzius*, ubi accepit *Soltanam*, cujus auctoritatem pollere viderat, contra incœptum ſuum, primò cõmotus metu, atque libidine, diverſus agebatur. Deinde animus, cupidine cæcus, ad incœptum ſcelus rapiebatur, documentumque præbuit, humillimos quoſque, ubi alta acceſſerunt, ſuperbiâ, atque ambitione immodicos eſſe, dum animus potentiæ expers, tanquam inediâ refecti inſatiabilis eſt. Brevi poſt tempore legatus, compoſitus animo (uti ſecundorum ambiguorumque ſcientem decuit) *Halli Baſſam*, navali militiæ Præfectum,

fectum, adit, magnificè magis, quàm superbè. Hunc virum, temporibus illis, gravem inter *Turcas*, & prudentem fuisse comperio. Orientem enim fortunam moderatè tulit, & prudenter; per lubrica aulæ negotia firmo semper insistens vestigio. Hic adventantem Legatum, exutâ gentis suæ ambitione, excepit, obvius officii gratiâ, & blandè benignèque habuit; adhibitis ad ministerium dapemque Polonis, in ritus *Turcarum* transgressis. Inde diei reliquo inter familiares, variis colloquiis traducto, sequenti die Religiosorum familiæ, observantia in legatum certantes, humanè comiterq; excipiebantur. Primi omnium *Franciscanæ* Religionis duo, ob vetusta in hac Regione merita, & *Constantini Zemisci* authoritatem, ad-

adiêre. Laudati, quòd *Turcarum* rabiem, nihil mutatâ in Ecclesiam Romanam constantiâ, pertulissent. Cùm enim omnia sacra profanaque violarentur, solum Divo *Francisco* dicatum templum stetit, non loco, sed Numine, & dexteritate Religiosi cœtus, defensum. Prædicatorii posthac Ordines, & Divi *Bernardini* instituta sequentes, venêre. Illi Romanæ urbis liberalitate, hi Christianorum, Peram inhabitantium, eleemosynis hîc foventur. Auditæ etiam eorum, qui *Societati Iesu* nomen dederunt, salutationes.

Tùm verò haud multò pòst Legatus, inter inania famæ, ad *Dauterum* invisendum, uti constituerat, processit, magnâ familiarium pompâ. Hîc pauca publicè locutus de injuriis suis, atque

uti Legationis ſacra violarentur, reliqua, remoto conſueto aulicorum miniſterio, tranſegit ſecretò. Quod quàm ægrè tulerit, inter omnes, *Vezerus*, quamvis cætera callidus tectuſque, aperuit multis; quòd *Dauterus* præter claritudinem generis, rerumque *Turcicarum* uſum, magnis apud Cæſarem, teſtatiſque meritis, impetraturus omnia crederetur. Propinquâ tamen veſperâ, Nuncii à *Vezero* veniunt, qui ejus verbis poſtularent à Legato, ſequenti die ad eum veniret. Velle ſe de gentis ſuæ, & Polonorum commodo diſceptare; condonatis viciſſim, & oblivione ſepultis, quæ obvenerant. Haud cunctatus eſt Legatus, quanquam fingi ea, & ludibria tantùm, ac tergiverſationes intelligeret.

Evoluta

Evolutâ ergo nocte ibat, injuriæ dissimulator, ac sui potens; ut qui non sibi, sed publico militaret. Jam propinquanti, obvius fuit, quasi per officium, *Vezerus*, contra morem suum, non trux, ut assolebat, sed lætus vultu, propior benignitati, quanquam iram foveret. Et commodè per eas horas advenerat Regis *Britanici* Orator; magnâ spe, posse auctoritate suâ, & Legatum inter *Vezerumque* concordiam gigni, & *Turcarum* animos pace componi. Haud facilè quis dispexerit illa in cognitione mẽtem *Vezeri*. Adeò vertit, ac miscuit iræ, & humanitatis signa, deprecatus Legatum, ne ipsius moribus offenderetur, dictitans, sepeliendas in perpetuum, juratâ injuriarum oblivione, inimicitias esse. Exinde urgebat ad pro-

proferenda pacta, quæ ad *Chocimum* concepta fuêre. Sed Legatus, inter arcana rerum exercitus, *Vezerum* elusit verbis, tempori accommodatis; veluti ea, quæ secum non haberet, cupientem: ad consiliorum magnitudinem felicitate adjectâ, à qua sæpè optimi deseruntur. Quæ autem alia, inter Legati consiliorum secretâ, fuêre, mihi casuum eventuumque tantùm fidem professo, prodire non visum, dum audire illa malim, quàm loqui. Neque sum ignarus, à plerisque rerum nostrarum scriptoribus, tradita consiliorum Legati secreta, atque intima, dum calliditatem aulæ forique exercent, aut qui abditi sensus Legato fuerant, ne cum cæteris pari ignorantiâ sint, verentur. Ego, quanquam pleraque mihi interiora obvenerunt,

runt, quæ tantùm in summo sunt, trado, sine odio ac gratia, quorum causas procul habeo. Et paulatim inde, ne res ultra verba progrederetur, effectum ab Oratore *Britanico*, aliò sermonem avertente, & apta temperandis animis differente. Ac obvenit apprimè tempus homini, primariæ ac raræ prudentiæ, peropportunum, dum de pactis agebatur inter *Vezerum*, & *Legatum*. In quo ipse, ut erat ad subitanea consilia instructo semper animo, sublatis, quæ renascebantur in horas, controversiis, impigram, ac fidelem erga Polonos operam navavit. Tandem *Vezerus*, donec occasionem arriperet, datis mitibus responsis, promittit, paratum sese facere, quæ Legatus vellet: Colloquio cum Cæsare diem ipse deligeret: con-

consulta se omnia cum illo integra habere. At Legatus, pauca se coram Cæsare locuturum, respondit, simul edocet, quæ munera à Rege mittebantur, nunquam à consilii salubritate, ne proprio quidem discrimine, recedens. Ita cùm in meridiem sol iret, digrediuntur; repetente *Vezero*, de abolendo dolore, iraque, & prioris temporis necessitatibus. *A Vezero* visum est Legato, adire supremum superstitionum Turcicarum Presidem; sive, ut causam suam tanti Viri accessione firmaret, sive ut, incertus animi, exploraret sacri Ordinis, de Pactis *Chocimicis*, sententiam. Hîc multi alii, Sacrorum inter Turcas administri, reperti, qui à communi populo non multùm differunt. Post venerationes & officia, intravit

Legatus fanum, quod *Solimanus* opimis ſpoliis, *Ludovico Regi*, urbibuſque *Hungariæ*, ereptis, exſtruxit. Deditæ fano mentes omnium cum oculis erant, & ſtupori fuit illuſtre monumentum, ac, ex veteris olim artis peritia, *Mauſoleum* loci conditori. Inde ſplendidè à familiaribus in hoſpitium deductus Legatus; vario vulgi rumore, reconciliatus *Vezero*, an damnatus, reverteretur.

Die divi Nicolai venerationi ſacro, magnificè in Regiam egreditur, præmiſſis ad Cæſarem muneribus, quæ cum ſumma veneratione recepta, gratâ Cæſarum memoriâ, ad hoc uſque tempus *Polonam* munificentiam teſtantur. Pluviam inter & procellas haud parum impeditum, & ideo, obſcurato noſtrorum ſplendore, ad eum

eum locum, in quo templum *Sapientiæ* eſt, perventum. Ubi in Regia nunciatum eſt, Legatum haud procul abeſſe, multi ex Proceribus obvii procedunt, delecti, qui Legatum primi venerarentur, & ad Cæſarem, cum comitatu, deducerent, jam ſereno cœlo. Stabant in Regiæ porta *Spahiglani*, qui equeſtris dignitatis illuſtres, circa Cæſarem in publico frequentes ſunt. Hos ſequebantur *Spahi*, & *Soluptarij*: qui ab initio ad turpem uſum, inter prima ætatis rudimenta, apud Cæſares fuêre. Adulti, Cæſarum indulgentiâ, uxores ducunt, auctique dote conjugis, & ſtipendio, plurimùm Oratorum utuntur officio; Cæſaris latus dextrâ lævâque ſtipantes inter eundum. Ad Præfecturas, & cæteras dignitates, ex hoc ordine fermè

le-

leguntur. Stabant cum ſuo Duce & *Ianizari*, firmatus uſu miles, & belli domitor externi. Hi impuberes adhuc ex toto Imperio deliguntur, experrecti vigoris, & virtutis. Aliquandiu militari diſciplinâ inſtruuntur ſub magiſtro: dein robuſtioribus, ac jam pridem probatis, aggregati, amiciuntur veſte fluitante, & pileo albo, ac ſurſum verſus erecto. Hi caſtra muniunt, urbes oppugnant, & ad triginta millia; ac ampliùs, publico Cæſarum ſtipendio, per totum imperium auctorati habentur. Illos Legatus tranſgreſſus, per cupreſſorum arbores conſpicuâ altitudine, in interiora venit: unde aſpectus egreſſuſque in hortum, fonte irriguum; citris limoniiſque ad feneſtram uſque flores, ac poma porrigentibus. Huc mittitur Le-

gato, more gentico, veſtis *Turcica* è panno aureo, & filo ſerico; præcipuis ejuſdem familiaribus veſtitis ad eundem modum. Admonitus à *Dziurdzio*, ut, more Polonorum, Cæſari reverentiam, nudato capite, exhiberet, caput oſtendens, priùs hoc amputabis, excepit; nihil ſupra bonum, atque honeſtum perculſus. Nec ullis deinde terroribus conſtantiam vocis egregiæ mutavit, prudens, vel ſemel tantùm, & leviter in publicis erràſſe, id aliquando facere, quod corrigi nunquam, aut tolli poteſt. Atque ubi ad Cæſarem, medius inter duos purpuratos, introiſſet, ejus togæ liciniam oſculatus, honorâ oratione cuncta repetiit, orſus à fœdere, quod imperitante *Solimano*, *Turcæ* nobiſcum jecerant, ut olim narrare me memini. Sed hæc

hæc eum ritè memorantem, *Vezerus* improvisò interpellat: Otthomanis *neque majus quidquam, neque charius Regis* Sigiſmundi *amicitiâ eſſe. A multis annis ita Cæſares Orientis vixiſſe, ut Polonis, etiam laceſſentibus, indulgerent, fœderaque & pacta, quæ cum Majoribus ipſorum intercederent, ſervare ſe velle. Amicitiis etiam vicinorum, non modò armorum conſilio,* Otthomanicos *faſces creviſſe. Deinde de valetudine & ſucceſſu Regis, Imperatoriâ brevitate interrogatum.* Legatus, cùm utraque felicia eſſe reſponderit, digrediuntur. Diſcumbuerant poſtea Poloni in aula maxima Cæſarearum ædium, quam *Eunuchi* roſis, & aliis floribus conſtraverant. Namque, quod mireris, in aulis *Turcarum*, non luxus aulæorum, non ſplendor gemmarum, non aurum, non argentum,

non alia quibus pretium ſola dementia mortalium fecit, cernuntur. Pòſt, ubi officia, & venerationes peractæ, & diei veſper erat, à Regia templum *Sapientiæ* Legatus obivit, *Mahometanæ* veſtigia impietatis, templique, olim pulcherrimi dehoneſtamenta inſpecturus. Veſtitur intus, & foris marmore candido, porphyrite, aliiſque non vilis pretii lapidibus, celebre, ſi quod aliud, per *Europam* ædificium. Ejus interiora adeuntur portis quatuor. Tectum deauratum, & laquear fornicatum, præaltam oſtentant operis magnificentiam. In ædis aditu petra marmorea ſpectatur, ſuper quam, opinantur *Turcæ*, *D. Virginem matrem Servatoris noſtri*, laviſſe ejuſdem linteamenta, & ideò multum habent lapidi illi honoris; Statuæ, & ſimulacra Divo-

Divorum adhuc visuntur, quæ servari integrè *Cæsares Otthomanici* jusserunt, gloriam suam Christianis haud negandum rati, sive ut comparatione majores, hoc merito quærerentur. Est præterea *Mausoleum*, quo *Constantinus Imperator* inclusus conditusque esse fertur. Legatus, spectatâ opulentiâ templi, donisque Cæsarum, ad hospitium flexit, multis Proceribus, officii causâ comitantibus; quos largis epulis, vinoque excepit. Nox per diversa inquies, cùm nonnulli læto cantu hospitium Legati complerent: contra veterem disciplinam, & instituta Majorum, apud quos frugalitate, quam epulis res *Otthomanica* meliùs stetit.

Mense *Ianuario* Anni sequentis, Regis Anglorum orator, dum

Legatū honoris causâ inviſeret, operam ſuam ultro pollicitus eſt, ſi quid componendæ adhuc diſcordiæ ſupereſſet. Sub hoc idem tempus *Venetæ* Reipubl. procurator, cui Juſtiniano nomen erat, adiit de commodis Reipub. Polonæ ſe acturum teſtatus; cùm eo impendi laborem, ac periculum debere diceret, unde emolumentum bellatricis gentis, atque honos ſperaretur. Legatus, actis utrique gratiis, oſtendit, eò jam ventum eſſe, ut doloſo cum *Vezero* nihil componi poſſet ratione. *Comes Mansfeldius* deinde venit, qui, licet jam inde ab incunabulis, imbutus odio Polonorum, comiter tamen benigneque à Legato habitus eſt.

Inter hæc militaris ſeditio propè exarſit. Quæ res admonet, ut inſtituti operis causâ, quidquid

ejus

ejus rei ineſt, paulò altius, & breviter tamen, ediſſeram. Relictâ ſuperiori anno *Valachiâ Ianizari Spahique* ſtipendia, importuniùs quàm iniquius expoſcebant, & eò inſolentiùs, quò graviorem, ſub ipſo *Oſmano*, militiam præſumebant. *Dziurdzium* adeunt inopiam publicam exprobrantes, aliaque latiùs eruptura, niſi tempeſtivo remedio præveniantur. Ille exhauſtas ærarii opes obtendens, ſtipendia differt. *Ianizari* minas contemni ſuas rati, diſſono clamore, cædem Primorum poſcentes, relicto *Vezero*, nullo ſatis certo conſilio, hac, atque illac minitabundi, per urbem diſcurrunt, ignarâ ſuſpensâque civitate, quò terror ille pertineret. Donec *Vezerus*, ad omnes occaſiones intentus, extimulare ſingulos, & in everſionem Legati

impellere: detineri ab ipſo tributum, referendo. Creditum id vulgo, & ubi cauſas odiorum prætenderant, magnitudinem prædæ oſtendebat; fortunæ, tanquam conſtantiſſimæ rei, fretus quòd quorundam ſtudia, in ſe prona vidiſſet. His & pluribus, in eundem modum, perpulerat, ut nec *Turcæ* quidem reſtingui poſſe iracundiam *Ianizarorum* arbitrarentur. Cùm haud ignari diſcriminis ſui Poloni, audendum aliquid pro Legati dignitate, conclamatis rebus, rati collectâ ſuorum manu, armati palatii ſui ſuperiora occupaverant, ex quibus impetus adventantium videri, & ſimul propelli poterat. Ipſe legatus, neceſſitatem pariter ac virtutem ſecutus, non Dux tantùm, ſed ſocius periculorum eſſe volebat; propi-

tium

tium ſibi ſuiſque Numen, ac præſentem opem à Cœleſtis militiæ Principe, indeſinenter implorās. At *Vezerus*, callidus rerum ac temporum, ad Legatum allegat Secretarium, conteſtans *authoritatem ſuam inferiorem eſſe* Janizarorum *violentiâ: qui ſtipendiis deſtituti, ac tributi ſpe illecti, turbas immensùm augent. Nec primos furentium impetus cohibere facilè eſſe, quanquam ipſe auctoritatis ſummæ, ac vetaret. Suſtentatos à ſe utcunque ad eum diem promiſſis, ac nuper oſtentato Polonorum tributo. Quod ſi Legatus numerare cunctetur, erupturum, haud dubiè, malum in ejuſdem perniciem.* Hæc mandata *Vezeri*. Legatus, ut erat conſtantiæ, adverſus vim omnem invictæ, *majorem ſibi Patriæ, quàm vitæ curam, & hanc cœleſtis eſſe providentiæ, contra quam nec aliis, nec*

Vezero *ire liceat, aliaque multa differebat; propior publicæ libertati, quàm privatæ charitati.* Quin etiam truculentiùs sibi minitante *Vezero, licet* respondit, *mihi agmina* Janizarorum *ostentet, licet Vincula identidem minitetur, nunquam tamen efficiet, ut propter sanguinem meum, Regem & Patriam, quorum Legatus sum, contemni permittam. Quæ ubi relata sunt* Vezero, *inquies animo, Polonis parem in omni periculo animum esse videns, rursum ad terrorem de tributo hæc, quæ supra memoravi, apud Legatum per Secretarium disseruit; nec posse motum inter discordes, aut egenos, nisi tributo, componi.* Janizaros, *quod in seditionibus accidit, non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere.* At contra Legatus, nihil infracto animo, *Non me,* inquit, *non meos, injuriâ afficietis. Nulla hîc privata*

causa:

causa: neque aliud incusandum habeo, quàm quòd, vanâ illâ, humanitatis specie captus, dolos & artificium Vezeri *non animadverterim. Adnumerabor aliis ut omnes Christianorum Principum Legati, aut* Janizarorum *manibus, aut* Vezerorum *dolo ceciderunt. Ibit fama ipsa, nunciabit Reipub.; vel, quod mihi gloriosius, vobis ignominiosius, universo orbi, interfectum à vobis Legatum Polonum. Sed & comparatis per intima Russiæ* Podoliæque *auxiliis, venient* Euxino *mari* Cosaci, *qui neque me inultum, neque vos impunitos patientur.* Interea non sine ope divina ingressus in seditionem *Ianizarorum* Dux, homo apprimè sagax, non medicinam illud, magna cum indignatione, sed rebellionem appellans, diremit consiliorum diversitatem. Et ita, ad conspe-

ctum, mandatumque Ducis, qui fortè venerat, repressus utcunque *Ianizarorum* motus, veluti monentibus fatis, secura omnia in rebus humanis deberi illis, qui ad causæ suæ æquitatem, conferunt præsidium, afflictæ quidem, sed nunquam ruituræ Religionis; Nec multò pòst Secretarius à Duce ad Legatum mittitur, qui referret, initium conjurationi non à cupiditate Ducis, sed ad *Vezeri* imperium, fuisse. Cæterùm Legatus, mirus discriminum dissimulator, post officia gratiarum, se neque salutis beneficio, neque mortis dispendio, adduci posse testabatur, ut ante libertatis Patriæ curàm, & debitum Regi obsequium aliquid haberet. Postremò fœderis *Chocimici* pacta & communem gentis utriusque consensum osten-

ostendens, identidem rogabat, ut referret Duci, se suosque, pace circumventos, arbitrio bonorum permittere. Secretarius, clementi responso, pollicetur, remoturum se *Ianizaros* ab ea mente, aut certè à facultate nocendi: nempe operâ Ducis sui, viri insigni animo, ad coërcendam militarem licentiam. Ad Ducem suum rediit, & Legatum vel bello, vel pace paratum edócens, addidit, in pactis nullam se mentionem tributi vidisse. Exarsit Dux animo, *Dziurdziumque* ruptorem fœderis, violatorem gentium juris, & cupidum novarum rerum appellavit; majestate tantum, &, quâ erat apud *Ianizaros*, gratiâ facilè concitatam, & prædæ avidam multitudinem placans. *Nunciata* ea *Dziurdzium* mœrore curâque af-
 fecêre.

fecêre. Doluit oppressam seditionem, quia magna, quorum spem amiserat, nec alia se offerrent, ex quîs disparem fortunam exspectaret. Itaque, spe lapsus, consiliorum irritus, ad alia se convertit, vultu vitâque tranquillus, animo exsomnis. Sequente die viso interprete Polonorum, testari Deum atque homines, cœpit, nihil ope suâ factum, quo Legati dignitas læderetur; collatâ in tempora, ac mores culpâ. Se ad conditiones descendere, atque transigere cum Legato velle, suam in eo opere fidem, operamque amplissimè promittens. Intellexit hæc Legatus, ut erant magis, quàm ut dicebantur: tamen ne diffidere ejus virtuti promissisque videretur, collatis cum Secretario Legationis consiliis, eum accessit.

ſit. Et verò de tributo ſtatim diſſenſus, ſummâ rei intactâ; cum aliquid aliud in *Vezeri* pectore hæreret, tacitiſque cogitationibus agitaretur.

Sub idem tempus *Halli Baſſa*, barbaro ritu, expeditionem contra *Hiſpanos* parabat. Ad anguſtum *Adriæ* fretum, conſultâ, & conſentiente Repub. *Venetorum*, diſpoſitæ navium ſtationes, unde opportunus in *Appuliam* trajectus; quam ut plerique *Turcarum*, ita etiam *Veneti*, opinione quorundam deluſi, tentandam minimè exiſtimabant. Sed ſucceſſum victoriamque *Halli Baſſæ* in contextu operis memorabo; nam perſequi illam, non nihil intererit noſtris: ad quæ revertamur.

Aliquot diebus interjectis, Legatus ad Oratorem *Anglorum* flexit:

flexit: multa de Turcico ſtatu, paucis amicorum adhibitis, diſſerens. Cæſaris motam furiis mentem: non ætate, neque rerum experientiâ Imperio capacem. Accedere matrem, muliebri potentiâ: Serviendum fœminæ, quæ, utut excelſi animi, parem tantæ magnitudinis, & ampliſſimi Principatus ſpiritum non habet. Si Principes Chriſtiani, juncti juis armis, impetu in *Græciam* facto fœderi ſe inligarent, quid reliquum, niſi ut *Turcæ*, *Europâ* & *Aſiâ* omni excuſſi, evoluti, ultra *Tauricum* montem in ſolitudines ſuas, reverterentur. Talibus peractis in hoſpitium venit. His diebus *Stephanus Tyſiecius*, qui Legato fuerat ſtabuli Præfectus, fato conceſſit, compoſitâ ætate, cui juſta exſequiarum, mœſtâ ſociorum pompâ, ſoluta ſunt. Corpus

pro-

proximâ Græcis humo ſepulturę mandatum, ad hoc tempus tumulus contegit; à commilitonum quopiam hâc inſcriptione additâ:

Gente Polonus erat, quem Græca
recondit arena.

Virtutis gloriam, æternæ traditam memoriæ, Legatus, laudibus ſuis celebrando, florentiorem effecit.

Turcæ interim ſacros *Mahometi* dies agitabant, funeſtum *Oſmani* finem dolentibus *Aſiaticis*, odio majore, quàm luctu. Multi, ſepulcrum exoſculati, ſimul cum *Oſmano* defeciſſe publicam felicitatem, querebantur. Colligi ex eo magnitudinem Juvenis, & pariter invidiæ, cui fato ceſſerit, qui ſolus magnitudinem *Turcarum* ulterius promoturus erat. Conſtituere autem vacuum, aut im-

imparem gravioribus curis matris certè obnoxium arbitrio, quid aliud quàm ſi Imperium deſereretur. Poſt ſollemnia ſuperſtitioni peracta, doliis picatis, ſub veſperam accenſis, inter tenebras lætiſſimi ignes paſſim colluxêre; majoribus machinis, cum minoribus pariter impulſis, & ex haſtis, affixo cúſpidi ſtramine, continuæ quaſi flammæ ſpectabantur: Cæſare ipſo ganeæ, & luxui vacante.

Fortè per eoſdem dies *Dauterus* fugam in ulteriores regiones adornabat, cum *Ianizari* mortem minarentur; inſitâ vecordiâ, & facilitate priorum flagitiorum. Haud fuerit abſurdum tradere ſuprema nobilis, ac ferocis viri, & cujus ſpectata erga Legatum virtus, meliorem fortunam, & cauſam merebatur. *Dauterus*,

Vezeri

Vezeri dignitate se iterum potiturum, sperabat, & occasionem haud segnis, nonnulla jam apud Cæsarem moliri ausus erat, ardentiùs aliquantò quàm cautiùs. Ut solent, manum injectantibus fatis hebetari sensus hominum, & obtundi. Hæc palàm *Dziurdzius* civiliter habuit, altius tamen animum ejus penetrârunt. Terrebant eum multa, & natura *Dauteri* dominandi persanè cupida, & præterea potentia, domum *Otthomanicam* affinitate complexa, & super hæc, studia Cæsaris in eum, ut memoravi, accensa: cùm sæpiùs ostendisset suâ voluntate, quâ *Dauterum* benevolentiâ complecteretur. Et quanquam *Soltana*, olim uxor Cæsaris, nunc Mater, monuit interdum Cæsarem, nimium ne crederet *Dauteri* moribus, illum imitatione obser-

vantiæ, fraudem tutò tegere, ac destinare, id tamen secus accepit, contempsitque Cæsar. At quia palàm tot simul tollere intutum videbat *Dziurdzius*, intervallis scelerum opprimere hominem statuit; prudens neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timet, & frequentissimum initium calamitatis esse, securitatem. Igitur varia clam tentanti, promtissimum visum, apud *Asiaticos* querelis, ceu authorem seditionum cædisque *Osmani*, ac futurum aliquando Turcarum perniciem, criminari. Sanè constat, quosdam consiliorum *Vezeri* idoneos, circumvolitantes urbem, & occasionem amplexos, ac socios, editâ voce, & sæpè repetitâ, cum multa *Dauteri* invidia testatos: hunc ultimum, vellent modo *Europæi* ignominiæ suæ diem,

diem, & primum ultionis, Authorem necis *Osmani* tolerent, ac hominem naturâ potentiæ anxium, ad altiora, & non concessa tendentem, nondum compositis, maturisque satis ejus consiliis, opprimerent, præventâ *Otthomanicæ* domus ruinâ. Et, hercle, nullum jam gliscentis per Christianos contemtûs remedium, quàm si Princeps facinoris subverteretur. Unde gravior motus, & in momenta singula provectus; sive corrupta remediorum tempestivitate, sive quod plerique *Europæorum* nocturnæ quietis speciebus, sæpiùs se etiam excitari affirmarent. Ergo *Dauterum* vi & astu, interficere statuunt, ut se ultione & sanguine explerent; Ille disperso rumore, *Ianizaros* in cædem suam conspirasse, trepidus, & vim metuens,

tuens, clam ſuis ſe ſubduxit, per diverticula, & anfractus profectus; metu, ut apparuit pœnæ, & quòd tuendæ cauſæ, vel *Dziurdzio* probandæ, diffideret. Quæ poſtquam ſunt *Dziurdzio* audita, ſocordiam *Ianizarorum*, ac aliorum negligentiam cauſatus, ut eum pernicitate equorum ſubſequerentur, palàm aliquoties edixit, militibus haud modico pretio illectis. Itaque adulto die protractus ex horreo, quo ſe, deſperatis rebus, fortè intulerat, provectus ſenectâ, laniatâ veſte, miſerum ſpectaculum per urbem ducebatur; ingenti luctu liberorum, & uxoris. Hæc, flexo in veſperam die, quanquam corpore ægro, ſolutis crinibus, mutatâ veſte, circumire domos, orare Proceres, voces adverſus periculum poſcere; recuſantibus cunctis,

cunctis, cùm cædem *Osmani* prætenderent, *Vezeri* formidine. Metu & ægritudine fessa ad *Ianizarorum* agmina delata, manus ac supplices voces tendens, fidem illorum obtestabatur, ut opem sibi ultimo in discrimine ferrent; ne autem velint, infelicem Matrem, cum aliquot innocentibus liberis, tanta cum jactura, atque dedecore, miserum diuturnumque, per omne *Otthomanicum* Imperium, exemplum circumferri humanæ calamitatis. Inde miseratio, & Patris Cæsaris, & *Otthomanicæ* domûs memoria, frater Cæsar, ipsa insigni fœcunditate, ut solent afflictæ res magnorum allicere ad misericordiam, dum quisque in eis efficaciùs suæ conditionis admonetur. Sed nihil æquè flexit, quàm largitiones, rabidissima militarium animorum

rum expugnatio. Itaque pulſo repente *Dziurdzio*, veluti de induſtria partes refovente fortunâ *Dauterum* ſummæ rerum admovent; converſis in novum *Vezerum* omnibus novitate rei, & miraculo. Interea, ingreſſus aulam Dux *Ianizarorum*, vocari ad ſeſe *Dziurdzium* imperat, recepitque in tribunal. Tum fatalem increpans *Ianizarorum* rabiem, cur *Dauterum* velint habere, inquirit? ipſius facinus, atque *Oſmani* gravem, & immerentem caſum, ſimul quantùm dedecoris adierint, miſeratur. Attonitiſque magis, quàm quietis *Ianizaris*, omnium, quæ ſupplicium morarentur, intolerans, adversùs *Dauterum* pronunciat, ut capitis ſupplicio atrociſſimi criminis exemplum expiaret. Ita iræ & ferro lictorum objectus, à *Ianizaris*, & ani-

animo desertus, fato occubuit, ne plebe quidem invitâ, quæ locum, ut in uno homine & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ esset, insigniri jussit. Sanè mihi hæc, & alia revolventi animo, in certo judicium est, civium benevolentiâ, ut sanctius inter mortales vinculum nullum esse, ita nec dari ad stabiliendam potentiam firmius posse. Quippe, non si cubiculum fossâ cingat, & in lectum ponte se recipiat, tam secura dominationis possessio erit, quàm si amor civium tueatur. Qui si ditione naturæ exterminetur, metuat necesse est, ut patiatur aut intereat, malignis aspectibus, aut oppositionibus errantium siderum motis, atque agitatis, generi humano, & iis, quæcunque infra orbem Lunæ sunt, nocetur. Tunc

aut procellis elementa miſcentur; aut, ſupra lunarem æſtum, mare intumeſcit, aut terra concutitur, aut ſocietas gentium luxatur, planè efficaci argumento, ut naturam, & ordinem rerum, ita mortalium vitam, ac cœtum amoris vi, ac connexione ſtare; Tantùm abeſt, ut Præpoſiti ac dominantes, quos præfracta majeſtas ne quidem per arma, & ſervitia tueri poteſt, exercere imperia queant, niſi reverentiam dominantis amor multitudinis cõciliet. Ne legibus quidem, aut minis obſequia parantur, & cùm jubentur, ſuſpicione ſervitutis contumacem populum, haud dubiè irritant. Carcer verò, laqueus, aut ſerviles cruciatus, infirma vincula ſunt caritatis, & ne ad coërcitionem quidem. Ex indictis profectò ſuppliciis, ut me-

metus ac horror, ita odium ac defectio naſcitur, fitque, ut, quia vi dominantes cogunt; omnibus ſunt exoſi, &, quia exoſi, nunquam ſecuri. Gratia & favor populi firmiſſima potentiæ monumenta. Cæterum his de rebus, ex occaſione, paucis diſſerui, interea ad incœpta redeo.

Dziurdzius verò ſublato de *Dautero* metu, firmatâque potentiâ, per æqua, & iniqua, decus authoritatemque ſibi adſtruere cœpit. At Legatus, ſubductis illius Machinationum rationibus, expenſiſque conſiliis, miſit ad eum familiares, deditque munera, per quæ eundem mollirent. Non quòd ignoraret, quantùm illi credere deberet, ſed ut, eâ conteſtatione, occaſionem ei præberet rei benè gerendæ. Familiares benevolen-

tiam & amicitiam, quæ Legatum inter *Vezerumque* ferebatur, in memoriam revocant, ſimul ab eo petunt, ut in negotio Legationis induſtriam ſedulitatemque, quantam poſſet maximam, impendat, nihil aut Legato gratius, aut utrique populo opportunius effecturus. Et *Vezerus* quidem, poſtulatis Legati animum ſe accommodaturum, jurejurando ſæpiùs interpoſito, pollicitus eſt; aliaque æſtimatione, aut promiſſis magnifica addidit: Porrò cùm multos dies noctesſque æſtuans agitaret, amicis conciliiſque ſuis confiſus, ſimul quòd Princeps *Valachiæ*, veteris offenſæ memor, Legatum, invito Rege, *Conſtantinopolim* veniſſe, traderet, opprimendi Legati conſilium cepit, acerrimam belli facem præ-

laturus.

laturus. Usque adeò dolosos homines, sicut impura corpora, quò magis nutrias, eò magis lædas. Igitur totus huic intentus curæ, clam equites appellare, spe & pollicitationibus incitare alios, alios tentare, consilia sua, voluntatem adversam Regis, modicas, aut attritas superiori bello, Polonorum vires ostendere. Nec aliud discordantis Imperii remedium esse, quàm ut *Ianizari*, urbanis illecebris insolescentes, in *Valachiam* educerentur. Interim venerunt VIII Idus Febr. quîs in unum omnes convocat audacioris ingenii, aut in adulationem effusos, prona sibi omnia, & facillima opprimendo Legato ratus. Est supremus quidam apud *Turcas* Procerum consessus, in quo prima Magni *Vezeri*, dein Bassarum, aliorum-

que, quibus rerum illustris aliqua administratio, & scientia est, consilia sunt, ac partes. In eo igitur expositum est per *Vezerum*, quidquid pro præsenti negotio, & Imperii *Otthomanici* commodo, erat. Tùm primariæ existimationis ac loci virum sententiam, de pactis *Chocimicis*, rogat. Ille multùm de turbidis *Turcarum* rebus præfatus, pacem cum *Polonis* stabiliendam censuit, Legatumque honorificè habendum. Eadem cæteri. At longè alia mens erat Equiti cuidam: qui, ut in *Dziurdzii* animum introspexerat, eò securiùs arma, atque ultionem contendebat, unicum læsæ Majestati *Otthomanicæ* remedium. *Quippe modestiâ, ac facilitate nihil aliud effectum, quàm ut Cæsari tributum, Polonis timor adimeretur. Postulâsse principio*

cipio Polonos, ut Tyras *limes utriuſque populi eſſet; id ſcilicet unicum defuiſſe conteſtati ad coërcendam* Coſacorum *temeritatem, qui vagis incurſibus, aut disjectis per catervas,* Otthomanica *vaſtârunt. Num propterea, impetrato à Cæſaribus limite, quieviſſe? an potiùs, & quidem confidentiùs, efflagitâſſe, ut ditionis* Otthomanicæ *facti* Valachiæ *Principes, quanquam baptiſmo luſtrati, deturbarentur? Nec unquam deſtitiſſe, donec flagitioſis conſpirationibus, clam, palàm, ad extremum* Gratiano *perſuaſerint, ut reverentiam Cæſarum exueret. At* Gratiani *fortè defectione contentos fuiſſe? quin imò gradum inde factum, ut bellis pacis nomine, non uſu, mutatis,* Valachos ac Moldavos, *veteri* Turcarum *ſocietate nobiles, invaderent, copias ſuas cum* Gratiani, *opprimendo noſtro præſi-*

 dio,

dio, miscerent, pacta, in quæ sub Magno Solimano *itum, interpretando violarent. Hîc quoque visum fortunæ* Otthomanicæ, *quæ jam consecuta est quidquid voluit, nec voluit, quod consequi non posset, victoriam, ad* Cecoram *partam, moderari: Visum* Skinder Bassæ *à populationibus Regni abstinere. Enimverò quid ex ea demum moderatione relatum, nisi ut novis motibus Imperium* Otthomanicum, *palàm, aut in obscuro, miscerent*: Chocimum, *injecto* Tyræ *ponte, vi aggrederentur: itinera per* Valachiam *infesta redderent. Præmonstrâsse profectò* Amuratem Secundum, *nationis haud ignarum, quid Polonorum animis accommodatum; dum Vladislaum* ad Varnam *(qui, ut pace domi frueretur, arma in* Otthomanos *dolo transtulerat) armis adortus, cum exercitu delevit.* Nunc
verò

verò non ſemel tantùm, ſed toties peccatum eſſe in Otthomanos, *pariter & in pacta, conventaque. Nec quia pacem hodie per Legatum poſcant, minùs perfidiæ, animis ineſſe; reſumturos, utique arma, ubi, rebus ex animi ſententia confectis, Legatus redierit. Nimirum exploratum jam eſſe, Polonos, ut in bello pacem, ſic in pace bellum quærere. Id* Uladiſlaum Varnenſem *inter arcana habuiſſe, & poſteros ſecutos. Adverſus quæ, cùm Princeps* Baſſarum, *aliique optimates variè diſſererent, eò decurſum eſt*, ut *Vezeri* ſententiam omnes operirentur. *Qui, damnoſam* Otthomanis *pacem eſſe prolixiùs aperiens, hoc ab Ordinibus impetrari æquum cenſuit, ut virtute ſuâ culpam* Oſmani *corrigerent, & abolere flagitii memoriam novâ gloriâ paterentur. Addiditque, intendentem ſeſe ſedulò in res Legati, re-*

 ſciviſſe

scivisse hæc demum ex Principe Valachiæ, Judæisque Poloniæ, *Legatum nullis publicis literis pro fide instructum, paucorum auctoramento, huc venisse. Itaque tam diu definitionem se differre statuisse, donec ea super re aliquid certi sibi præscriberetur. Deliberatum jam pridem sibi in Poloniam mittere, ut clam, & quovis pacto, consilia Regis, & ordinum explorarentur. Se tamen haud ante id facturum, quàm conjecto in carcerem Legato; ne, datis secretis ad eos, quos suâ causâ facturos scit omnia, literis, consensum Regis, nunc demum, obtineat. Et Equites, mobile apud Turcas hominum genus, facilè sententiam* Vezeri *secuti, in Polonos iniqui, & adversus recta quorundam consilia contumaces. Ad extremum &* Bassæ, *vultu, qui maximè servit, assentiri coacti; cùm præsentia deflere magis, quàm præferre, liceret: Ita*

in

in ſententiam Vezeri decretum, & concio dimiſſa, bono initio, exitu fœdo. Nec multò pòſt, accitis ad ſe Legati familiaribus, *Vezerus* pauca purgandi ſui causâ dixit, culpamque in Equitem contulit, ejus nimio ardori, imparem eſſe authoritatem ſuam. Et monuit Legatum, ut ſequenti die in judicium veniret, ne à lictoribus publicè, & ignominioſè traheretur, vetere, atque inſitâ *Turcis* ſuperbiâ. Quæ ubi relata Legato, ſpe evolutus, deligit familiares, præſentes animi fideique, aulam *Vezeri* ingrediantur, rogentque per ſacra Imperii, per hoſpitalia jura, per Deum, fœderis teſtem vindicemque, exueret ferociam. Illi fas omnium gentium, Legationis ſacra, Legati fidem violari queruntur, ſimul petunt, aſpice-

ret literas Regis, reminiſceretur vocis, quâ ſe obnoxium rebus Legati dediſſet. Omnia fruſtra. Namque *Dziurdzius*, ſucceſſu rerum lætus, adſeverato in terrorem vultu, immobilem ſe precibus, & rationibus juxta oſtendit. Animo feroci nunciavit Legato, abjicere ſpem, & uti neceſſitate; neſcius majeſtatem ſupra nos eſſe, quæ, ut cætera, quæ gerunt homines, dominia tradit quibus viſum eſt, ac eripit, comminuit, aut frenat. Ego ſanè ſæpiùs, cum animo meo humana reputando, ita comperi, & legendo didici, quemadmodum corpora continui frigoris, & tempeſtuoſi, aëris conſuetudine obdurari, cœli clementiâ, & ſoli mollitie diſſolvi: ita facilè per adverſa meliores nos fieri, proſperis corrumpi, & diffluere.

fluere. Ubi ſecundis rebus, & ex voto fluentibus omnia procedunt, rariùs de virtute, ſæpius de magnitudine cogitamus: ex qua humanarum mentium cæcitas, ut plurimum ſecuritatem, & ex ea fiduciam ſævit. E contra virtuti per arduum, & confragoſum iter veſtigia figuntur, tantò ſolidiora, quantò per plura & majora diſcrimina vadentem ex alto providentia intuetur. Sed ad res Legationis revertamur.

Familiares, re infectâ, ad Legatum redeuntes, cum nihil ex dignitate ejus retuliſſent, alios in unum convocare juſſi ſunt. Et Legatus, incenſus dolore tantæ ad irritum cadentis ſpei, & odio irâque, aſſiſtentes alloquitur. Sermonis ejus ſententia in

hunc modum fuit; *Si fato concederem, magnus mihi etiam dolor esset, quod me Reipubl. Regi, Fratri, amicis, in hostico Deus raperet.* Nunc *scelere* Vezeri *interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo, referatis Reipubl. ac fratri, quibus insidiis circumventus, honestam vitam, pro libertate morte finiverim. Illacrymabit Rex, & Respubl. quondam florentem, & suæ causæ Legatum,* Turcicâ *fraude cecidisse.* Dziurdzium *ego quo nomine compellem, nescio? An hominem? qui me cum societate, ac fœderibus venientem, per iram, & cupiditatem circumsedit. An* Vezerum? *cui tam projecta Regis mei, & Ordinum authoritas. Hostium quoque jus, & sacra Legationis, & fas gentium temeravit. Poloni Legatos Turcicos ne vultu quidem, & adspectu, unquam læserunt, non timore poten-*

tiæ

tiæ Otthomanicæ, *ſed obſervantiâ juris gentium: nos egregiam ab illis gratiam referimus. Hunc ego nuncium Fratri, læta omnia* Conſtantinopoli *exſpectanti, mittam? Hîc interfici familiares meos: me includi, & precarium ſpiritum inter Nominis Chriſtiani hoſtes trahere? Cur porrò in* Chocimicis *caſtris Legatum Magnum, tam ſtudiosè poſtulârunt. O perfidi amici! Meliùs, & amantiùs illi, qui mihi olim in acie mortem intendebant. Cecidiſſem certè in acie gloriosiùs, quippe illic honeſtæ mortis uſus, hîc inglorium exitium. Neque tamen Deus ſinat, ut ignominia mea hæc ſit, vinctum ſine prælio, & pugna, cuſtodiæ mancipatum, ſine armis Legatum Polonum. Eluat mihi meiſque hanc maculam, iraſque* Vezeri *in exitium* Turcis *vertat. Vos quoque familiares*

mei

mei, quorum ora, & pectora nunc intueor, si amorem Patriæ, obsequium Legato reddidistis, me in hac summa vitæ ne derelinquite, exemplo Turcas *docturi, Polonis nec animos deesse, nec virtutem. Sæpe paucis nostris adversus multitudinem* Turcarum *benè pugnatum; Id monumentum non intermoriture memoriæ, id fidei Symbolum erit. Plura dicerem, familiares, & contemnendam vobis esse mortem suaderem, sed vobis abundè dictum puto, qui metuendam esse nondum didicistis.* Finierat: & omnes juravêre, dextras invicem contingentes, animas antequam ultionem amissuros. Ergo Legatus, obdurato contra fortunam sævientem pectore, captivitatem haud inultâ morte effugere decrevit; magis animis, quàm viribus fretus. Tecta, ubi tormenta aliquot cam-

campeſtria, avertendo periculo, locaverat, ſcandere pedites jubet; ſentiens, quantum addat, hinc ad extrema virtutum ſtimulum ſalutis deſperatio. Ita non minori jam animo, quàm metu, ſpe omni transſcripta neceſſitati, verſus in cœlum, Deum obteſtabatur, uti ſceleris, atque perfidiæ *Turcarum* teſtis adeſſet. Et mirum fortaſſis poſſit videri, tantùm tùm Legatum apud *Turcas* auſum, ut in media ipſorum urbe, trecentis tantum ſuis ſeptus, palàm vim vi repellere vellet; ſed reputantibus, quo in periculo tunc fuerit, haud incredibile videbitur, virum fortem, & liberum, quidvis ſubire voluiſſe, quàm ut ſub arbitrium, & poteſtatem *Turcicam* ultrò concederet. Eâdem die, etſi vagis adhuc & incertis authori-
bus,

bus, erat tamen in ore famaque *Husseimus*, cujus de virtutibus supra memoravi; ac plerumque ad nomen ejus Legatus erigebatur. Interea familiares Legati, crebris ignibus factis, plerumque noctis, more suo, quem acuebat ipsa spei desperatio, lætari, exultare, strepere vocibus. Quæ *Turcis* ex tenebris, & editioribus locis facilia visu, magna admiratione erant. Ipse Legatus, *Schachidum* lusu, acriores de infortuniis suis cogitationes sepeliit; impetratâ priùs noxarum veniâ, & animo corporeque cœlo commendatis. Noctis fermè concubium erat, cum *Imbraim Bassa*, aulæ *Soltanarum* Præfectus, ad Legatum miserat duas puellas, Cytharæ, & cantûs peritas, quarum cantu, vel formâ levaretur. At propinquo

rei

rei diſcrimine, explorandos *Ianizarorum* animos ratus Legatus, dat negotiũ paucis, cæteros quidem ad ſpem prolicerent, *Dziurdzium* exturbãdi, Huſſeimum autem, quoquo modo, ſurrogarent. Obſcuro jam cœlo, egreſſi *Ianizari*, quibus datum negotium erat, per cognitos viarum ductus; adeunt Tribunos, ſingulorum virtutem poſcunt, ac fidem. *Huſſeimi* decorem, militare robur, magnanimitatem laudibus ferunt, reddendamq; gratiam, non magis promto conſilio, quàm occaſione fatentur. Simul *Dziurdzium* avarum, crudelem, ſuperbum, ut magiſtratus gerentes comparatione ferè ęſtimamus. Inter quæ, de ſententia Tribunorum, ſtatuunt horam, Huſſeimo omnes munus *Vezeri* deferant, Principium exilio aut

exitio

exitio *Dziurdzii* parantibus fatis. Tunc primâ luce proripiunt ſeſe, atque unanimi conſenſu Regiam conclamant, nullo, niſi conſciis, noſcente, quod ſeditionis initium, quis finis? Ubi verò patuit, *Huſſeimum* ad dignitatem *Vezeri* promoveri, longo primum ſilentio Cæſar hærere, mox *Huſſeimi* virtutes revocare, nimiæ *Dziurdzii* ferociæ ſubiraſci. Quin, ingraveſcente interno certamine, permittere *Ianizaris* licentiam, atque ultionem, & ſatietatem. Unde ingreſſus Palatium Tribunus *Ianizarorum*, *Dziurdzium* ſeorſim evocat: quaſi aliquid ſecreto allocuturus. Atque, ex adverſo oſtendente ſe *Ianizarorum* multitudine, tùm Tribunus, Siſte, inquit, *Dziurdzi*, moveri te dignitate Cæſar jubet, ejuſque nomine ſigillum

pone.

pone. Ille, improviſâ denunciatione perculſus, *Ianizaroſque* complures circum ſe aſpiciens, ſigillum tradidit; ſanè efficaci argumento, nihil tam excelſum eſſe, quod ſupra ruinam conſiſtat, & fruſtra homines res curare, ſi occulta fatorum vis, conſiliorum abdita turbatura, implicari terrena cœleſtibus velit. Statimque in *Huſſeimi* manus, qui præſtò accurrerat, ſigillum venit, traditumque eſt. Et his, in hunc modum peractis, unus *Ianizarorum*, acto ad Legatum equo, voce magnâ, proſpera quæque, non ex vano, pollicetur; præmio decem aureorum à Legato accepto. Demum aperuit, *Huſſeimum* jam *Vezerum* dictum eſſe. Tùm Legatus exploratores perpetuò in Regiam mittebat, non contentus auditione,

pro

pro re comperta, niſi viſa etiam domeſtici ex vero memorarent, quæ exploraſſe *Ianizari* narrabant. Vix credibile memoratu eſt, quantum lætitiæ ſolatiique Legato adoleverit poſtquam familiares, *Huſſeimum* rebus admotum, nunciavêre. At *Huſſeimus*, ut primùm *Vezeri* dignitatem adeptus, læta omnia & affluentia excepit. Primores, per mediam concionem agmine ingreſſi, cùm novum *Vezerum* ſalutâſſent, ſecuta ex omni multitudine conſentiens vox ratum nomen, magiſtratumque *Huſſeimo* attulit. Cives munera gerentes circumſteterant aulam, feſtiſque in *Vezerum* ominibus, ludos opulentiùs inſtructiuſque, quàm olim aliis, faciebant. Quidam candentem ferri laminam, ceu chirothecam brachio induit,

eamque

eamque per omnes intrepidè circumlatam, ante ſpectantium pedes excuſſit, incolumi manu omnibus demonſtratâ. Denique opifices agreſteſque omnes, quorum res fideſque in manibus ſitæ erant, relictis operibus frequentârunt *Vezerum*, ſua neceſſaria poſt illius honorem ducentes. Ille gratulationibus, adſtantium accurrentiumq; confertim omnium oppreſſus, communis benevolentiæ officia, non hilariùs, quàm modeſtiùs admiſit. At *Diurdzius*, per averſam aulæ partem, haud minus turpi latebrâ, quàm deteſtandâ fraude, elapſus, foraminibus & rimis aurem, mox *Huſſeimi* palatio, admovet. *Ab Huſſeimo* inventus protractuſque inter reliquos locum capere juſſus eſt. Sed ille, flexo in mœſtitiam ore, ſtatuit

tuit abire, vel simulatione fugæ, locum fraudi parare. At *Husseinus*, post repetitam dignitatis gratulationem, animo ad seria converso, intendente se jam nocte, ad Legatum misit, monens, ut referret animum ad firmitudinem, & ne quid à se hostiliter timeret, Se amicitiâ Polonorum apud animum suum nihil carius habere. Id adeò experiri licet, quidquid animo libet, utere-tur.

Dum ista geruntur, non rumor jam, sed undique nuncii incedunt, qui accessisse *Turcis* in *Appulia Manfredoniam*, interfectis incolis afferrent. Et quidem ego, à rebus Legationis Stylum parumper abstinebo, dum de victoria *Turcarum* strictim aliqua subjungam. *Halli Bassa*, *Adriæ* angustum fretum nuper transgres-

sus,

ſus, omni ſpe curandum exiſtimavit, ut inſulam præſidiumque *Hiſpanorum*, in mari mediterraneo in *Otthomanicam* redigeret poteſtatem. Itaque Inſulam aggreſſus eſt, non quidem virtute, ſed proſperiore fortunâ ex inſidiis uſus, eä celeritate, ut primùm circumventam inſulam viderent, quàm cœptum *Turcarum* iter præſidiarii audirent. Primùm pugnatum ancipiti Marte, donec prælium nox dirimeret. Poſtridie ejus diei, incolæ armati littora defendêre, improſperè magis quàm inſtrenuè. Sed ubi primùm locis cognitis *Turcæ* in littore conſtiterunt, omnes Regis *Hiſpaniarum* exercitus in fugam conjiciebantur; tantâ conſternatione ac celeritate, ut imperio obſequioque turbatis, na-

ves *Alvari Cardonæ*, cruce Christi insignes, Turcis relinquerent. Igitur *Halli Bassa*, celerandæ victoriæ intentior, dedit impetum in campos, fortunam tentaturus. Tùm cœptâ sub primam lucem, non acri minùs quàm constanti ad mediam usq; diem verberatione, apertâque jam multis locis civitate, ad oppugnationem instruit aciem, acuente vires exercitûs Turcici irâ. Tùm signo dato, animatisque militibus à gloria, vel à præda, in civitatem penetravit, quæ munimentis adversum hostes instructa non erat quantùm satis. Negligentia oppidanorum etiam pro successu Turcarum fuit. Et cujusdam prudentiæ est, hostium vitia in gloriam suam conferre. Ac oppidani quidem,
quem-

quemcunque ſors obtulerat contrucidati ſunt; quaſi victoriæ jure, quod inter arma militares maximè prætendunt, & eo abutuntur. Non nulli per tenebras & ruinas elapſi, cæteris omnibus poſtpoſitis, ſola in fuga præſidium collocârunt. Oppidum prædæ militum, uti promiſerat, tradidit *Halli Baſſa*, paucoſque poſt dies, ingenti prædâ potitus, *Conſtantinopolim* revertitur, exercitu victore reducto; Circumferebantur Chriſtianorum ſigna vexillaque, oſtentati etiam captivi, Ex quibus centum adoleſcentes, formâ conſpicui in Regiam, ad ſtuprum trahebantur; quos publicum imperii ſui theſaurum rati, primùm publicâ curâ ſumtuque alendos & educandos Magiſtri ſuſcipiunt, De-

inde, robore corporibus animiſque ſumto, *Ianizaris* aggregantur. Et ſatis compertum, facilè virtutem mutari, corrupto per licentiam ingenio, omiſſamque adoleſcentiæ quaſi legem perniciosius repeti. *Halli Baſſa*, lætus claruſque eventu, in Regiam aſcendit, ibique Cæſar, cum Proceres approperaſſent, ſimul cum aliis donis, auream veſtem humeris ejus, inſtituto ſuæ gentis, impoſuit. Cæteri, venerantes triumphatorem, feſtis vocibus conſalutavêre, propter claritatis ac magnitudinis rerum geſtarum admirationem. Illi etiam ipſi, qui ex ſucceſſu præcedentium annorum, & animum Halli Baſſæ, & fortunam colligebant, rem ad glorioſum finem adductam, fatebantur. Sic triumphavit *Halli*

Baſſa,

Bassa, magnâ omnium cum lætitia, & admiratione. Porrò tam improvisam ejus prosperitatem, subita excepit commutatio, expertusque est magnæ fortunæ felicitatem, & vices rerum humanarum: quæ nihil esse patiuntur, quod est, quæ majores omnibus, & pares, maximos quoque & maxima invadunt. E Regia enim egressus, circumfusam *Ianizarorum* multitudinem obviam habuit, à quibus, licet insigni canitie venerabilis, ad exitium poscebatur. Authorem cædis in *Armenia* factæ, promotorem *Abassii*, proditorem contubernalium, clamitabant; Nec defensioni locus. Ubi crudescere seditio, & à cõvitiis, ac probris, ad tela transibant, periculorum gnarus, jurejurando promittit, *Abassium* se il-

lis intra Menſem traditurum. Sic mitigatis animis, domum, extremo jam die, venit. Nunc initia cauſaſque cædis *Ianizarorum* in *Armenia* expediam, ſtylumque meum ad externa iterum convertere, inſtituto haud indignum fuerit.

Abaßius, natione *Roxolanus*, inter omnia nautarum miniſteria, inter difficillima *Helleſponti*, à primis retrò actis annis tractus, & educatus. Nec ſegnis, & donec bellum fuit, inter præſtantes ſplendidiſſimus, ſpem magiſtratûs, non ſervili animo, quanquam ſemiagreſtis, conceptam, acriùs in dies rapiebat; faventibus pleriſque militum, prono in ſe *Halli Baſſa*. Itaque poſt navatam aliquoties fortiter operam, Baſſis adſcribitur, & in quadam

Armeniæ Provincia *Ianizarorum* ſupremus nominatur ; ſubſcribente Cæſare. At *Ianizari* loci illius, *Abaßium*, externum hominem,& de gente,|Turcis exſecrabili, oriundum, nullo cultu proſequebantur. Subibat enim pudor degeneraviſſe Turcas, miſſum alio ex orbe præfectum, hoſtium artibus infectum. Ubi illam gloriam trucidantium externos, exturbantium Chriſtianos, ſi mancipium *Otthomanicum*, tot per annos ſervitutem perpeſſum, Turcis imperitet? Igitur *Abaſſius*, à Cæſare rebus impoſitus, à *Ianizaris*, & incolis ad magiſtratum non admittitur: primoque congreſſu fuſus, reparat vires, civitateque potitur ; ex ferocia & ſucceſſu prædæ intentus. Victos *Ianizaros* oppidanoſque catenis

oneravit, fidei illorum diffisus. Deinceps, quantùm de excidio illorum victor, tantùm de salute sua ipse cogitans, supra proprias clientelas, ope *Persarum* adjutus, non furtim jam, sed palàm, bello infensare *Armeniam*, quosque fidos *Ianizaris* rebatur depopulari, &, si copiæ contra ducerentur, eludere, huc quoque & illuc volitans, plura famâ quam pugnâ exterrere. Postremò, desperatis rebus, & compositæ militiæ contemtu, in quamcunque crudelitatem, cum odio omnium ac damno, uti, manifesto indicio, humillimos quosque, ubi alta accesserint, superbiâ, atque ambitione immodicos esse. Aliquot post diebus interjectis, venêre *Constantinopolim* quidam *Ianiza-*

nizarorum elapſi, qui *Abaßium* incuſarent. Ignominioſum id ſibi credidêre, nec aliàs magis ſuâ contumeliâ indoluiſſe ferunt, quàm quòd deſertor Religionis Chriſtianæ, & mancipium, hoſtium more ageret. Cæterùm *Husſeimo*, non ingratum accidit, turbari res orientis, ut ea ſpecie, *Ianizaros*, acceptæ injuriæ ultores *Conſtantinopoli* abſtraheret, ſimulque luxuriantes eorum animos, metu hoſtium diſciplinaque Caſtrenſi contineri, ſeque tutiorem exiſtimabat, poſitis urbani periculi curis. Et inter hos dies bellum *Conſtantinopoli* in *Armeniam*, & perduellem exercitum, decreto ſupremi Judicii, denunciatur. Porrò quomodo Turcæ recuperaverint Provinciam, quo pacto, ut eam recuperarent, bel-

la, cum *Abaßio*, dein cum *Persis* gesserint, relinquo iis, quibus curæ est, accuratiùs externa admirari.

Jam verò, ut nostra prosequamur, Legatus eò majore cum gaudio, quò propiùs periculum res fuerat, hospitio egressus, repente omnem comitatum ire ad *Vezerum*, & ante aulam stare, jubet. Ipse insigni equo devehitur, vetere dignitate conspicuus, avitæ magnanimitatis, etiam inter angustias fortunæ, retinēs. At verò in aulâ ab *Husseimo*, contra quā Turcæ existimabant, & Christianorum multi cupiebant, perbenevolè acceptus est. Interiora ingressus, *Vezerumque* complexus, de animo *Dziurdzij*, *de injuriis sibi illatis, nec parcè, nec falsò, de pace quoque, de communibus, rebus* mul-

multis disseruit. Denique aperuit, Cantimirum, *infesta quaque versum signa inferre, per Podoliæ ac proxima palabundum, abactis armentis, incolis, cæsis, aut captis, per occasionem ac solitudinem vagari. Faciendum aliquid, quo paci consulere videretur. Id adeò in promtu esse, quoniam jus in* Cantimirum, *& in Principem* Valachiæ, *latrocinio efferatos, haberet: quos si locis moveret, fore ut illi plurimum deberetur. Amicitiam, fœdus, pacem tunc ultrò adventuram. Vezerus* ex sententia Legati omnia se facturum spondet. *Non obstabunt,* inquit, Cantimirus, *& Princeps* Valachiæ *fœderi nostro. Tuta erit vobis* Valachia *&* Silistria. *Deferam* Cantimirum *& Principem* Valachiæ *alium imponam, ne vos in Podolia & Russia, metum inter, & discrimina, habitetis.*

tis. Prædatores, & Latrones defendant, quibus dulcius bellum, quàm pax. Legatus magnam sibi lætitiam esse, cum *Husseimum*, talem virum, Deus monuit, ut cum Rege & Repub. pacem quàm bellum mallet. *Nunc,* inquit, *quando per fortunam licet, quemadmodum cœpisti, Deo consultore ac præside, perficias, quæ benè perfecisti. Multa, atque opportuna habes, quò faciliùs errata* Dziurdzii, *officiis superes. In quo curam, providentiam, peritiam, sedulitatem, tuam, ac industriam, vix ætas hæc, vix postera, ut par est, æstimabit. Postremò, hoc in pectus tuum demitte, servitutem vobis à Polonis non deberi. Qui, ut tributum solvant, non magis exspectandum, quàm ut elementa rerum viribus humanis cedant.* Ad ea Husseimus placidè & benignè, *suâ interesse,* ne

ne Otthomanici *Imperij corpus, quod ſacroſanctum ſuis debet eſſe, ambitione, & per hanc diſcordiâ divellatur. Suâ intereſſe, ne rupto pacis vinculo, quod omnem mundi, & pulcherrimi operis molem connectit, in arma diuturna* Otthomanorum, & Polonorum *quies abeat.* Fortè Huſſeimo, cùm de rebus Polonicis loqueretur, tetigerat animum memoria *Zolkievij*, ſciſcitandoque eòdem pervenit, ut interrogare Legatum ſuper eo cœpit. Ille, perculſus inopinatâ interrogatione, paulùm reticuit, deinde collecto animo, fatis jam *Zolkievium* conceſſiſſe, ſed donatam receptamque cœlo mentem, reſpondit.

Factum per eos dies, ut *Vevellius* Legatum ad Huſſeimum deferret; tanquam, cognitâ nece

Osmani Dilaverique, multa contra pacta publica tentâsset, eòque in diplomate tributum delevisset. Nempè Legato infensus, à quo illiberaliter habitum, rejectumque se querebatur. Accedebat spes, quâ se principem *Valachiæ*, ex futuro Turcarum cum Polonis bello, sibi homo, avidus dignitatis, persuaserat. Atque ut huic bello non consilium modò, sed occasionem etiam causamque, præstaret, Legatum apud *Vezerum* violatæ fidei incusavit. Quæ tamen infidi, ac Græci hominis esse, apud *Vezerum* credebantur: qui obligatam Legato fidem servare, constantiæ famæque duxit; præsertim quòd suspectum haberet *Vevellium*, ad Principatum *Valachiæ* ambitiosè respicientem. Ea propter in vincula

cula conjectus, gravissimi criminis postulatus est; donec eum arbitrio Legati puniendum traderet. Qui exitio ejus, per avitam animi moderationem, abstinuit; ut pateret omnibus, malos cùm maximè nitantur in bonorum exitium, frustra esse, bonos, cùm in promtu habeant, nocere nolle. Hæc mihi ex vero, nec præter seriem temporis, cujus res persequimur, memorata sunt. Et ignoscent, ad quos hæc cura nostra pervenerit, quòd, cavendis pessimorum insidiis, magni sceleris exemplum post futuris transmiserim.

Interea in Polonia, nondum cognito, qui rerum *Constantinopoli* fuisset successus, inter falsa ac incerta famæ, rerum fide haud pauci destituebantur. Alii deten-

tentum quidem Legatum, cum honore tamen haberi, vulgabant, credebantque: alii, velut præſagientibus animis, graviora metuebant, alii jam de diſceſſu aliquid ab aliis accipiebant.

Cæterum *Conſtantinopoli* Huſſeimus Legato pauca per Secretarium referens, petito ſecreto, cætera ipſe aperit, ſuadetque, in Judicium veniret, poſſe illi optatum eventum contingere; de reſtituendis; Legato honoribus ſolicitus. Namque ſingulos, quibus ſuffragii jus erat, adortus, facilè apud volentes obtinuit, ut in eandem ſecum ſententiam, & quidem non gravatè, conceſſerint. Tum circumſpectis rebus, &, quæ conciliandis animis idonea, proviſis, die ſtato ad locum Magni Conſilii itur. Et nonnihil

hil jam progressus erat Legatus, cùm duo, purpurâ splendidissimi, honoris causâ ei obviarunt. Ab his adductus, ubi ad dicendam causam locum & tempus habuit, hæc, aut talia, locutus. *Non miror, vos nuper trucem in me, inauditum indefensumque sententiam tulisse. Neque enim vestrâ voluntate, sed* Dziurdzii *immodicâ dominatione, jura gentium, & Regis mei dignitas, violabantur. Nec, si nuncius belli venissem, ideò aut Principi meo contemtus, aut mihi pœna subeunda esset. Nunc, quòd arbiter, & firmator pacis, turpi ignominiâ, hoc in loco sum affectus, an decorum genti* Otthomanicæ, *quæ Iuris gentium observantiâ hactenus floruit, vestris meditationibus relinquo. Et sanè inter tot pericula, succedentesque* Dziurdzii *artes, in securitatem me*

me subductum, unius Husseimi *adventu felicitateque. Enim verò non opis meæ fuit. Et omnino quod agnoscam, ac venerer prudentiam* Husseimi, *cujus gratiâ me relevatum divina Bonitas præsenti ope adjuvit. Iam verò quando huc,* Dei *beneficio, adducta res est, opus apud vos aggredior, plenum utrique populo utilitatis, agrestibus jam pridem exoptatum; ipsâ etiam pace jucundum, ac salutare. Antiqua fœdera, amicitiam, fidem, præcipua bonorum hominum bona, vos, credo, quâ nos constantiâ retinebitis. Sit ante oculos* Solimanus, *quem longâ victoriarum serie celebrem, non quorundam insolentia, aut vicinorum persuasio, in nos potuit commovere.* Neque *erat adhuc rupti fœderis exemplum.* Osmanus *bello, & à* Cantimiro *(cui compositis rebus nulla spes, omne in turbido*

con-

consilium) evocatus, cum invidia quamvis, contra nos cum exercitu venit, Solatium utriusque populi agrestes habent, res concordiâ transactas. *Provisum per* Dilaverum, *& nostros Commissarios videtur, ut, ne post longa tempora quidem bello locus sit. Vos monere prolixè ad pacem, neque temporis hujus, & impletum est omne consilium, si pacem amatis. Rebus, ad* Chocimum *inceptis, addite authoritatem, & eam, quod unum superest, perpetuitatem. Nec multò pòst* Husseimus *palàm docuit, approbanda pacta* Chocimica, *civilium inter bellorum motus. Iam* Armeniam, *& pulcherrimam* Euphratis *oram descivisse, nec aliud Imperio* Otthomanico *relictum, quàm, ut compositis rebus in* Valachia, *plurimâ Ducum militiæque clade funestata, in Orientem exercitum mo-*

moveat. Satis detrimenti bello Valachico *partum, &, violatione antiqui fœderis, nimiùm invidiæ. Ne concupiscerent Poloniam vastare potiùs, quàm amicam servare. Simul pacta conventa protendens, modò singulis, modò universis legens, postremò assidenti Legato reddidit.* His, atque talibus mitigati *Bassæ*, idem illis, quod *Husseimo*, hactenus alia urgentibus, probatum. Ita in pacta conventum est: quæ memoriæ temporum, & ut boni succesſûs exemplum illis sint, qui rem Polonam cum Turcis vel odio, vel ignorantiâ evertunt, ex fide subjeci.

1. Utriusque populi subditi ab utrisque tuti sunto.

2. Ne-

2. Negotiationes, Mercaturas, alteri apud alteros exercento, ac perinde ut ante receptum inter ſe agunto.

3. Coſacos Zaporovienſes navigatione maris Euxini Rex arceto. Cæſar quoque Tartaros Bielogrodienſes, Thehinenſes, Kilienſes, Dobrucenſes, Cremenſes ab incurſionibus abſtrahito, ultra Oczakoviam exire ne permittito.

4. Deſertos campos, vacuaque loca, quæ alteris ab alteris intercedunt,

dunt, neuter invadunto adeuntoque, extra quam venationis & piſcationis causâ.

5. Nec Caſtellum ullum urbemve iis in locis condunto, aut prẹſidium imponito.

6. Si quæ injuriæ damnaque facta fuerint, alteri alteris vindicato reſtituitoque.

7. Si quid horum Tartari admiſerint, nec vindicatum fuerit Chami crimen, iſque reus apud Cẹſarem eſto.

8. Stipendia Tartaris, pro-

ut ab aliis Regibus admiſſa pactaque, Rex exhibeto.

9. Tartari viciſſim pro iis obſequium Regi præbento, & ubi opus fuerit auxiliantor.

10. Ad Valachiæ principatum ut antea, ita deinceps, niſi initiali fidei lavacro tincti evehuntor, neque Turcicæ Religionis admittuntor.

Hæc in ſpeciem magis *Conſtantinopoli* ſcripta : cùm nihil in iis adjectum, quod veteribus pactis non contineretur , vel barbaro hoſti ad votum cederet. Ita his promulgatis, ad Lega-

gatum captivi Polonorum, liberati catenis, adducti, nullo sermone, porrectâ tantum dexterâ ab eodem excipiuntur, ut, vel hac ratione, dignitas eorum tegeretur. Squalidi illi omnes, promisso capilitio, misero victu, afflicti desiderio Legati, in ejus conspectu stetêre. Tandem concio, opinione celeriùs, dimissa. Hinc Legatus, Regem & Rempubl. pacta observaturum, fidem suam obstrinxit Cæsare coram, à quo post solitas venerationes, & multa verborum officia, digressus, egit quàm maximas *Husseimo* gratias, ob collocatum in se, Regemque suum grande beneficium, tam feliciter negotio confecto. Eodem die præmissi currus, quibus parvæ additæ equitum ca-

ter-

tervæ, ad tutelam ſarcinarum. Inter quas cadaver *Samuelis Koreccii*, fide cujuſdam clientis perocculté contectum, & abditum, in Patriam translatum eſt. Hîc, peractis quàm magnificentiſſimè parentalibus, in gentilitio *Franciſcani* templi Sacello condidêre propinqui ſui, relicto ad poſteros monumento. Conſequenti die, Legato *Huſſeimus* convivium appoſuit, eâ quidem magnificentiâ, quæ & Legatum Reipubl. Polonæ, & Magnum *Vezerum* condecebat: Sed eâ ſimul voluntatis erga Rempub. conteſtatione, quam de amiciſſimo viro, jam præcepta opinio præſcribebat. Nec illud omiſerim, quòd domeſticum publico adjunxerit fœdus, equo

Turcico, & vaſe *Balſami*, & aliis pretioſis oblatis Legato. Qui dignum quoque famâ ſuâ ratus, quâ nemo illâ tempeſtate Legatorum munificentior habebatur, gemmatum magnâ ſpecie annulum *Vezero*, veſtem domus ejus Præfecto, donavit; licet ei jam anguſtè ab ærario eſſe cœperat. Et *Vezerus*, multa comiter fatus, Legatum denique arctè complectitur, ac cœleſtem illi opem, ſuperſtitione Turcicâ comprecatus, ſubortis lacrymis ſubſtitit, ex Legatique oculis ubertim lacrymas expreſſit. Poſtero die, gnaris locorum adſcitis, *Conſtantinopoli* diſceſſit Legatus, nullo priſtino paratu & ſplendore, ſed decorâ egeſtate, etiam feſtis *Saturno* diebus, conſpicuus.

Juxta

Juxta idem tempus *Gabriel Bethlæmeus Transsylvaniæ Rector*, largus animo, & par opibus, misit ad Legatum, orans, ut ad se diverteret. Præstò fuêre ejus familiares; sed creditum famâ, perscriptumque mox Legato ab *Husseimo*, quòd pristinum honorem *Dziurdzius*, largitione & ambitu, iterum mercari, nec sine exitio Legati voluisset. Se in *Ægyptum* trajicere velle, significavit: haud inusitato hodieque consilio *Vezerorum*, qui, memores, potentiam apud *Otthomanos* raró consenescere, & non minùs certo interitu gratię exspectandum esse finem, quàm vitæ, naves semper paratas habent. Nempe ut liberum habeant in supremis casibus in *Ægyptum* perfugium.

Itaque vitatis nonnullis Transſylvaniæ oppidis, compendio viarum ad *Danubium* pervenit; tandem per *Pokuziam* in Patriam remeavit. Pro Solennibus Paſchæ venit in oppidum *Konskavvola*; eò majore omnium gratulatione, quò pluribus perfunctum periculis audivêre.

Hæc, quæ de Legatione *Zbaravij* dicerem, dum ipſius erga Patriam amorem, tolerantiam laborum, res magnificè geſtas, mente revolvo, in animum venerunt. Datur hoc illuſtribus viris, ut poſteris narrati, & traditi, in ore omnium vivant. Erunt qui *Zbaravij* reminiſcentur, & cum ipſa *Coributorum* gente ſeros in nepotes, ultimam in propaginem, tantæ Legatio-

gationis memoriam transfundent. Niſi fortè magnitudo rerum, quas geſſit, apud dubios, & alienæ gloriæ incurioſos, fidem minuat, apud ingratos amittat. Sed non deerunt ingenia, quæ, victuris in invidiam fati, in injuriam annorum monumentis, certitudinem famæ clariſſimo Legatorum adſtruent. Cùm multos oblivio abolebit, aut vetuſtas obruet, *Zbaravium* terris poſteritas dabit, neque ante deleri famam tanti Viri ſinet, niſi cum mundi contextum ultimus dies diſſolvet.

Au-

AUCTOR BENEVOLO LECTORI.

Illud, Benevole Lector, Te admonitum volo, me usum esse quibusdam vocibus, ut, Sors, Fortuna, Fatum, & hujusmodi: non quod cum Ethnicis sentirem, sed ut cum illis, tanquam Linguæ Latinæ parentibus, loquerer. Vale, & erratis præli (in tanta præsertim à me distantia) parce.

FINIS.

re
m
t,
u-
pi-
,
a-
r-
r-

